

**Franciscus Neumayr**  
**‘Constantia Orthodoxa**  
**ab Imperatore Constantio Chloro**  
**sapienter honorata’**

Tragoedia  
(1736)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Oktober 2007

## Argumentum

Constantium Chlorum, Constantini Magni Patrem, adhuc Ethnicum, cum sciret, multos in aula sua Christianos occulte versari, aliquando cupido incessit experiendi, qua demum constantia singuli Christum colerent. ergo solenne sacrificium Iovi faciendum indicitur, iubentur adesse proceres et duces omnes; si quis obstreperet, denuntiatur exilium. hic, qui Deum minus quam Caesarem metuebant, abiecta fide imperata fecerunt; at alii, quibus potior erat Numinis, quam hominis gratia, negaverunt, tanti sibi aulam esse, ut non illa mallent quam Coelo excludi. iamque abibant, cum Caesar fictione deposita laudare constantiam institit virosque fortissimos multo cum honore retinens sibi imbelles illos homulos, quos Sacramentum Christo dictum tam leviter violare non pudit, amandavit a se, sapienter coniectans, facile infideles Principi fore, qui Deo suo fideles non essent.

(Baronius ex Eusebio in vita Constantii. L. 2. cap. 48.)

### Observationes ex Eusebio, Eutropio, Sozomeno, Baronio et Forestio

1. Constat fuisse Constantium semper Christianis optime affectum; quin affirmant Auctores citati, ipsum ante obitum suscepisse baptismum et, cum Constantinum successorem nominaret, dixisse: 'iam libenter morior, quia filium Imperatorem relinquo, qui Christianorum lachrymas absterget.'
2. Verisimile est hanc procerum probationem ideo susceptam fuisse, ut Constantino provideret de aulicis, quorum fidei secure posset confidere.
3. Contigisse hoc fingimus eo tempore, quo Constantinus, qui in aula Galerii Romae educabatur, fuga elapsus ad Patrem se contulit, elusis Tyranni, iuvenem iam tum magnum timentis, insidiis, quas passus est propterea, quod visus sit Christianis patrocinari.
4. Auctores, qui dicunt Constantinum fuisse primum Imperatorem Christianum tunc conversum, cum crucem in aëre vidit, nostris Auctoribus non sunt contrarii et facile conciliantur, si dicamus, quod primus singulari cum cura rem Christianam promoverit, illa visione novum incitamentum addente et fervorem stimulante.

## Personae

Constantius	( <i>Con.</i> )	Imperator
Constantinus	( <i>Const.</i> )	Filius
Procopius		Constantini Romae Moderator
Terentianus		Ethnicus, postea Martyr
Volusianus		
Adocetus		Christiani occulti
Severus		
Marius		in fide lapsi
Ioannes		
Paulus		Filii Procopii

<Genius Romani Imperii>

<Britannia>

<Providentia>

<Chorus>

<Miles>

<Politicus>

<Oeconomus>

<Ministri>

<Praecones>

<Michaeas Propheta>

<Angelus Dei Iudicis Vicarius>

<Chorus Angelorum percutientium>

<Spiritus mendax>

<Nuntius>

<Michaeas Minister probus>

<Sedecias coriphaeus inter improbos>

<Ioramus>

<Ochozias>

<Filii Achab>

<Ephebi>

<Sacrificuli>

<Milites>

<Aula>

<Cives>

## Prologus

Genius Romani Imperii, Britannia,<sup>1</sup> Providentia,  
Ministri: <Miles, Politicus, Oeconomus>, <Chorus>

*Genius Romani Imperii a Tyrannis vexati ex indole Constantini Magni adhuc pueri in spes magnas erectus de optimis aulae Ministris illi mature providet. exhibentur illorum temporum calamitates.*

### Chorus

- Ch. O tempora funesta!  
O strages populorum  
Gementium infesta  
Sub mole Tyrannorum!  
Ah, tandem, pia sydera,  
Amoenius lucete!  
Pellantur atra nubila!  
Dispareant Cometae!
- Gen. Tu esto Lucifer, chara Britannia!  
In filio tui Constantii  
Spes omnis micat reliqua.  
Suspicio iuvenis indolem;  
Si annuis, vocabo ad regimen.
- Brit. Honoras me ... sed rogo te,  
Festina de bonis Ministris Constantino prospicere,  
Ne spes praeclarae suffocentur in gramine.
- Gen. Memorem mones. scio, quanti referat Principis,  
Vt bonis cinctus sit aulicis.

### *Arietta*

- I. Quod capiti sunt oculi,  
Quod manus, pedes corpori,  
Hoc aulici sunt Principi,  
Qui in Republica  
Est anima.
- II. Fac, anima sit optima:  
Distorta si sunt organa,  
In lippis lippa oculis,

---

<sup>1</sup> S. Helena Mater Constantini fuit Britanna.

In pede claudō debilis,  
 In manu arida  
 Est arida infelix anima.

- III. Sic boni saepe Principes  
 De se conceptas fallunt spes,  
 Si malos habent proceres,  
 Quos nempe consulunt,  
 Quos audiunt.

Sed hoc tu de me noli metuere:

*Theatrum exhibet armamentarium et curiam et aerarium.*

Ecce! habeo Ministros optimos in omni genere.  
 Eia! vestra deferte obsequia! ...  
 Vin' Politicos? vin' Milites? vin' Oeconomos? selige.

- Mil. Ecce me! Minister optimus est Miles magnanimus.  
 Pol. Melior est prudens Politicus: ecce me!  
 Oec. Ambobus potior est bonus Oeconomus: ecce me!

*Ariose*

- Oec. I. Ego, ego Principem  
 Facio amabilem.  
 Pol. Ego venerabilem.  
 Mil. Ego formidabilem.  
 Oec. Per me dives.  
 Pol. Per me felix.  
 Mil. Per me gloriosus est.  
 Omn. Per me Princeps, Princeps est.
- Oec. II. Verba vana sine re!  
 Quid potestis sine me?  
 Arma et ingenia  
 Acuit pecunia?  
 Vbi fulgor,  
 Ibi Vigor:  
 Florent castra, curia,  
 Aula, forum, omnia.
- Mil. III. Arma, arma regiam  
 Fulciunt potentiam;  
 Arma pingunt purpuram,  
 Arma ferunt gloriam.  
 Quid sunt opes,  
 Quid decreta,  
 Nisi illas tueor,  
 Nisi ista exequor?

Pol. IV. Quae iactatis singuli,  
Solut dabo Principi:

*Designat cerebrum.*

Hic, hic est aerarium,  
Hic armamentarium;  
Hinc nummorum,  
Hinc telorum  
Summa in inopia  
Subito est copia.

*Da capo.*

Ego, ego Principem *etc.*

Gen. Placet amicum certamen: litem dirimo.  
Nolite dividi animo!  
Novo Domino simul omnes servietis;  
Sic opera unanimi Constantinum MAGNVM facietis.

Brit. Ignosce! verba placent, rem exigo.  
Sintne omnes futuri fideles, interrogo?

Gen. Quid suspicaris et cur?

Brit. Quid fiet, si Miles sit proditor?  
Si Politicus adulator?  
Si Oeconomus fur?  
Heu! omnia metuo.

*Aria*

I. Quis hominum corda scrutetur?  
Quis angulos mentis rimetur?  
Qui saevius laedunt,  
Larvati incedunt.  
Est aulicae prima prudentiae lex:  
*Sic stude servire,*  
*Vt putet se scire*  
*Et tamen, quis vere sis, nesciat Rex.*

II. Haec, aiunt, est summa: *placere*  
Et Regem faventem habere;  
Nil refert, quid iura,  
Quid poscat natura,  
Quid populi bonum, quid gloriae spes.  
Rex audit libenter:  
Loquamur ardentem!  
*Si suadeo, placeo: salva est res!*

III. O Reges, si forte putatis,  
 Ab his vos amari, erratis:  
 Ipsimet, quod ferunt,  
 Vt inferant, quaerunt.  
 Nil credite verbis; mendacia sunt!  
 Frons, oculi, vultus,  
 Submissio, cultus,  
 Si etiam iurent, mendacia sunt.

Gen. Non nego, ita esse, ut dicis. sed quid facias!  
 Prospicere non possumus omnes fallacias.  
 Brit. Hinc est, quod te obsecro, ne praecipitetur electio.  
 In tanti momenti negotio Coelum consulamus,  
 Signum petamus,  
 In quo Ministros fideles a perfidis dignoscamus.  
 Gen. Probo consilium.

*Exhibetur eversum delubrum et crux in nubibus cum epigraphe 'in hoc signo', item palatium gloriae Constantino destinatum.*

Age, templum intremus,  
 Interrogemus oraculum.

Gen., Brit. Superi! quale spectaculum!  
 Quae ruina? quis Cometa? quam terribilis crux!  
 Prov. *ex nubibus* Amabilis, aurea crux! ...  
 Curarum desinite! meus est Constantinus!  
 Ego MAGNVM faciam.  
 Quid velim, legite, intelligite!

*Aria*

I. Ego architecta sum,  
 Quae in his ruinis  
 Constantino splendidum  
 Molior palatium.  
 Vos fundamento lapides,  
 Non luteos, non fragiles,  
 Non molles, non friabiles,  
 Sed solidos requirite  
 Et fortiter duratos,  
 Quos crucis hac imagine  
 Videritis signatos  
 Et prius Numini  
 Quam Principi,  
 Perspicue sacratos.

II. His nixa stabit fabrica  
 Et stellis propinquabit;  
 Et nec procellas nubium

Nec impetum torrentium  
 Impulsa formidabit.  
 Non vento furente,  
 Non terra tremente  
 Succussa trepidabit;  
 Nil agent hostes machinis,  
 Nil arte, nil cuniculis:  
 Fundata in cruce  
 In gloriae luce  
 Aeternum perdurabit.

Gen., Brit. Io! amant Superi Constantinum!

Brit. Beata sum!

Solutum iam est dubium:

Assentior, sit Imperator! ...

Sed tu obedi monitis Coelitum

Nec destina Ministros alios

Quam, quos probavero syncere Catholicos.

Gen. Me mihi rapuit iucundissima visio:

Obedio. in signo crucis fiat electio.

Imus! signatos requirimus.

*Aria*

I. Hucusque ego animum,

Industriam, consilium

In aulicis laudavi,

Plus non desideravi ...

Erravi!

Dos prima est Religio,

Quam ego non curavi ...

Erravi!

II. Religio, Religio

Me sola facit tutum,

Vt sciam, cui Domino

Stet subditus ad nutum.

Non fallit me, qui fallere

Se scit non posse Deum;

Qui timet, ne, si fallat me,

Divino coram Iudice

Accusem olim reum.



## Pars prima

### Constantia Orthodoxa tentata

#### Scena prima

Constantius, Constantinus, Procopius, Ioannes, Paulus,  
Terentianus, Severus, Marius, Volusianus, Adocetus

- Con. O dies aureo signandus calculo mihi! te, fili, teneo ereptum Tyranni fraudibus felici fuga! applaudite, proceres! festus hic dies eat.
- Omn. Vivite, Caesares, uterque felix!
- Const. Procopio me debes, Auguste Parens! Procopius sapiente consilio iuventam rexit et circumspecta prudentia elusit cruentos dolos. adsum ex mortis faucibus tibi redditus: recipe redivivum et patrio amplexu stringe.
- Con. Totus irruere! o quantus redis! pericula, quibus obiecit te immanis latro, suscepta fortiter, superata feliciter, de te conceptas confirmant spes. vive! insiste coeptis, Constantinum te Magnum fac! at tu, Procopi, dignum his curis praemium a me spera. docebo Principes, quantum Ministris debeant, quorum fidei se ac suos debent.
- Proc. Auguste, tuus me beat favor. abunde felix sum, si fidem probavi tibi.
- Con. Scio, magna virtus maximum est praemium suum. sed tu, ut etiam virtutem exercent Caesar et gaudio tuo gaudeat, vide, quid tibi, quid filiis petas: quidquid petieris, dabo.
- Ioan. Ego, Caesar, ut patri gratulor favores tuos, sic mihi mereri cupio non alienis precibus, sed labore meo.
- Paul. Idem, scio, a me exposcit pater, infelix nimium, si pro degenerare supplicaret.
- Con. Sic placetis; cumulate merita, cumulabo favores: ornamentis meis et suis gloriosa Procopii domus inclytum in longam seriem posteris transmittet nomen. nunc vos, amici, studiis paribus me et filium ulcisci iuvate. filium, quem honoris causa et amicitiae titulo reliqueram alendum Romae, scitis, quam saepe repetierim; num obtinui? pro obside Tyrannus tenuit, pro captivo habuit, insidias vitae struxit et, nisi obstitisset Procopius, fraudibus circumventum necasset scelestus; quid sentitis? non est digna ultione iniuria? meum haurire sanguinem voluisse Galerium, inultus feram?
- Terent. Non est ferendum. transfer ab innoxiiis barbaris in perfidum Tyrannum arma. dudum Romani gemunt sub iugo fessi et expetunt Prin-

cupem, qui prementem ferociam opprimat. filium da ducem, Caesar, nos sanguinem nostrum dabimus, in quo suffocetur bellua, quae tuum sitiit! armis plectatur dolus! iusta vindicta est, et bello pio favebunt Superi!

Omn. Iusta vindicta est, et bello pio favebunt Superi.

Con. Bene est. ergo placentur Superi, ut auspiciatum consilium sit. fili, tu hodie Atlanti fesso commodabis humeros recentes aemulus Herculis: eris imperii collega mei. sic redi Romam: intelligat Galerius, quem fecerit hostem imprudens sibi.

Const. Meus sit labor, Auguste Parens, honor tuus. te auspice, vindictam illustrem expetam.

Con. Sic decet me et te. ite omnes; totis haec iussa vulgentur castris: solennem exercitus totus pompam apparet! hic tibi, Terentiane, incumbit labor. insuper haec cura esto: Flamines mone, sacrificium ut parent Iovi; ipse adero, et mecum, quotquot me amant, mei. solennis gaudii hoc initium sacremus Coelo; nemo absit! commune beneficium est, communis sit actio gratiarum.

Terent. At hoc tamen, Caesar, inutile imperium est: invalescit in dies numerus spernentium Deos et nescio quem Christum, te indulgente, colentium. isti ut sacrificent Iovi?

Con. Vt vero ausint se mihi opponere? dissimulavi hactenus hoc sectae genus, non approbavi.

Terent. Conniventia audaces fecit, et maior, quam credis, est multitudo. experieris, quanti se opposituri imperio sint.

Con. Sic est, experiar hodie. mandatum repeto et addo poenas. quisquis hodie ex proceribus abfuerit sacrificio, posthac exesto aula et, qua volet, exulet. non patior contumacem. ite! Procopi, tu tuis fruire.

Proc. Si prius liceat ad te verbum.

Con. Loquere. turbatum video per hanc sententiam: num Christum colis?

Ioan. Pater, fateri dubitas?

Paul. Christum, Auguste, nos ambo colimus, et nobiscum pater.

Con. Hem! ut audaces pueri sunt!

Proc. Discedite! pater iubet.

## Scena secunda

Constantius, Constantinus, Procopius

Proc. Nihil ego tribuo meritis meis, Caesar, sed gloria mansuetudinis tuae animat, ut ad te dicere audeam contra te. quaero, num diem tam felicem nefastam velis? video innatare te gaudiis, et in luctu intem-

pestivo aulam submergis? Constantine Princeps, hoc tu patieris? nec intercedes decreto tam lugubri, die tam festa?

Con. Nam quid affligit te? quid statui adversum tibi?

Const. Penetrasti sensum viri: promulgatum sacrificium male habet.

Con. Eccur autem? num Christo tu forte iurasti fidem?

Proc. Vulnus tangis. quanquam non mihi doleo; Christo et tibi doleo. ignosce exulatur, si loquar liberius; nam ex quo Christum didici, didici, Ministri fidelis hoc primum officium esse, quod alii in postremis habent, dicere Principi veritatem, cum res postulat et tempus admittit.

Con. Mihi hoc novum est, te Christianum esse. audio tamen, quia, ut amen, obstrinxisti me tibi. loquere fortiter; non sum osor veritatis, quam vir sapiens loquitur. hoc primum declara: potuitne in aula sua cultorem Christi Galerius ferre?

Proc. Hoc primum queror: apud Galerium latere potui, nunquam imperatum sacrificium est; apud Constantium, ipsa, qua filium reduxi, hora prodere me ipsum cogor et exilii audire sententiam. o tristem reditum! poene me huc adigis, Caesar, ut optem adhuc cum Galerio esse. o spem fallacem! reduxi filium, ut a parente disceret, quanti facienda sit Religio Principi sapienti, quam videbat a rudi Tyranno Romae tot modis affligi. quid experior? dum advenio, extra Romam invenio Galerium, Constantium non reperio. Auguste, obsecro, quid displicuit tam repente in cultoribus Christi aut quid in ipso cultu? cultum exhibemus homini, qui, quod sit Deus, vitae sanctitate, doctrinae eminentia, prodigiorum gloria abunde demonstravit. tu loquere, Princeps, quid audiveris Romae, quid oculis videris, utique argumenta certissima, quod vera sint, quae de Christo narrantur, cum prope paria in Christi discipulis admiremur.

Const. Nihil auget Procopius, Auguste Parens! Christi cultus facit homines in omni virtutum genere admirandos. praecepta tenent tam consentanea rationi, ut ex Philosophis nemo vel unum impugnare sit ausus; tam conformia Reipublicae bono regimini, ut, si servantur, et populus et Princeps necessario felices sint; tam exacta ad normam honestatis, ut vel cogitare de re turpi sit nefas.

Proc. Et addunt praeceptis consilia, quibus se plurimi promovent in apicem altissimae perfectionis, unde despiciant caeteros et velut terrae fungos misereantur. quid iam de summis Mysteriis loquar, quorum illi fidem quotidianis prodigiis adstruunt? Deum esse unum natura, in personis trinum, alteram ex illis hominem factum, pro nobis mortuum, resurrexisse, venturum iudicem et, quae sunt eiusmodi omnem intelligentiae nostrae facultatem excedentia, ita illi praedicant imperterritae, ut nec superbiam Regum sibi obstrepentium nec argutias Sophorum contra disputantium nec fastidium hominum animalium ad haec tam spiritualia se non attollentium reveantur.

Const. Quos in sententiis, quae superant rationem, vincere rationibus non possunt, vincunt prodigiis: ad verbum, quo in nomine Christi impe-

rant, caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt.

Proc. Sed quod omnia prodigia superat, fortitudo est, qua, quod docent verbis, confirmant sanguine.

Const. Hic vero, Auguste, stupenda vidisses spectacula, quae Galerius exhibuit mihi, ut crudelitate Tyranni infamia, ita patientium virtute admiranda. adhuc liquescit animus cogitatione heroum in tormentis ludentium.

Con. Vera memorari, negare non possum: multa, quae memorastis, ipse conspexi exempla sub Maximis et Diocletianis Caesaribus; atque idcirco nunquam sustinui persequi cultores Christi. ut tamen probarem cultum unius Christi, nondum convictus sum.

Proc. Si non displicent cultores Christi, cur cultus displicet, qui tales facit? Caesar, tua interest, ut laudes etiam. fideles ut habeas subditos, maxime proceres, non nescis, quanti referat: non est quies animi, non est salutis fiducia, non Reipublicae cura felix, cum es ambiguus, an, qui te adiuvant, servent iuratam fidem, se an te in consiliis quaerant, solertiam in negotiis imperatis adhibeant, cum hostibus non colludant, non adulentur, ut placeant, non metuant displicere, ut prosint, non quaestui magis suo quam commodis subditorum prospiciant, in miserorum sudore ac sanguine helluantes. haec, Auguste, quam raro deprehendes, quod fiant; quam raro audebis punire, si fiant, nisi certus de fide tuorum sis? unde vero sis certus? corda non licet scrutari; deferentium querelas metus aut spes suffocant: tacent. at nempe iurarunt! ah! iurarunt, per Deos scilicet, quorum origo commenta sunt, quorum cultus simulatio, quorum laudes foeda facinora, quorum aestimatio potestatis divisa in multos sibi-que contrarios, ita ut, si offenderis unum, opem ab altero speres. o miserum iuramentum, invocationi tam inutilis Dei innixum!

Con. Patiens sum. sed vide, ne Diis opprobrium dicas.

Proc. Ultimus sermo est, quo finito in exilium eo. nisi te diligerem, Caesar, non loquerer tam audacter; malo id meo facio, sed bono tuo. nunc tu iuramenta nostra cum iuramentis tuorum compara. per Deum iuramus non ligneum, imbellem, mutabilem, mollem, sed cuius credimus potentiam invictam esse, sapientiam omnisciam, iustitiam formidandam; per Deum, quem nemo latere potest, cum peccat, nemo effugere, cum peccavit, nemo placare, cum iudicabit; per Deum, ex cuius unius favore ac gratia salus et omnis nostra felicitas pendet praesens aequae ac sempiternae. talem credimus Deum nos, qui solus vivit et regnat sufficiens sibi, nullius indigus, immortalis, unus Dominus, cuius ad nutum tremit orbis terrarum; talem, talem credimus, per talem vobis iuramus, Principes! possumusne in oculis tanti Dei fidem fallere? vivere scelerati? vivere, ut vivunt alii, qui aliud credunt? non possumus, Auguste, nisi fidem abiicimus, non possumus male vivere. et tu decrevistis cogere tuos, ut abiiciant fidem hanc, quae est tam sancta et sanctos facit? obsecro, consule

sapientiam tuam nec a te abige homines, qui neque male de te sunt meriti neque, ne aliquando male mereantur, timendi. a praeteritis criminationibus innocentes nos probat, a futuris sceleribus immunes nos servat lex, quam profitemur.

Con. Praeclara oratio, sed quam ego una interrogatione universam confutem. hanc adeo sanctam legem, quam ore profitemini, num etiam servatis opere? quod lingua dicitis, num omnes corde sincero creditis? quid humeros contrahis? i nunc, donec occurrat, quid respondeas. mihi agendum est tecum, fili, quem video mihi aut Christianum rediisse Roma aut Christianis affinem nimis.

Proc. Tuere causam, Princeps, quam Deus iubet.

Const. Et te tuebor: confide mihi.

### Scena tertia

Procopius, Ioannes, Paulus

Proc. Dubius haeret animus, quid effecerim. certum convitium est, quod lingua dicimus, non omnes corde sincero credimus et legem, quam profitemur ore, non omnes servamus opere.

Ioan. Pater, longum alloquium fuit, num aequae utile? non tibi haesit lingua terrore Maiestatis percussa? heu! si forte timidius locutus es Caesari nec pro auctoritatis tuae gravitate Christi causam es tuitus?

Paul. Certe visus es nobis ad exilii sententiam palluisse; quin adhuc pallore videris, quod praeter spem evenerit tibi, Constantium fuisse mutatum. nobis non est improvisa mutatio: instigante Galerio, iam diu urgent inimici Christi, ut inimicum nobis Caesarem faciant.

Proc. Nondum inimicus videtur, imo, nisi me vehementer decipio, idem, qui olim, Constantius est et eodem affectu. Christi legem non improbat, Christi legem se profiteri iactantium quorundam mores improbat. ego tanto tempore ab aula procul, nescio, quae sit vobis vitae ratio. docete me, quid observastis?

Paul. Tria hominum genera haec habet aula: aliqui Christiani sunt et non videntur, alii videntur Christiani et non sunt, alii denique neque sunt Christiani neque videntur.

Proc. Satis dixisti. iam nunc penetro mentem Caesaris: quartum vult nosse genus ex illis Constans, qui veri Christiani sunt et videri etiam gloriantur. ergo iam non est latendi tempus: prodeamus in aciem, pugnandum est.

Ioan. Nihil igitur effecisti? obstinavit se Caesar, et, nisi sacrificemus, est exulandum?

- Proc. Est exulandum. cessisse querelis videtur Constantius et vult amandare cultores Christi. ne tamen cogatur eiicere multos nimis, sacrificium imperavit, ut synceri discernantur a fictis; et metuo, ne obtineat finem ac pauci exilium ferant. non vincent periculum, nisi in quibus fides vehementius ardet. semi-mortua flamma pallentis faculae non sustinet furentis Boreae ferocem vim. in Constantino spes micat aliqua: de illo scite, abesse parum, quin Christi sit.
- Ioan. Quam magnum narras bonum! Constantinus Christo haeret!
- Paul. Salvi sumus! rescindet precibus decretum impium, vincet Patrem.
- Proc. Aut a Patre vincetur. spem et metum habeo.
- Paul. Recenti beneficio et tam grandi obstrictus est tibi Caesar, et tu metuis?
- Proc. Vos hinc concludite, quanti sit aulae gloria: vappa, fumus, bulla, inflatum nihil. ecce, dies una Procopium magnum et nullum videt. quanquam non possum fieri maior, quam si propter te nullus fiam, propter te, Christe, qui propter me factus es opprobrium hominum et abiectio plebis. habetis imaginem, quam Romam abiens utrinque dedi?
- Paul. Ex collo pendet.
- Ioan. Ecce, pater!
- Proc. Promite palam: sic exigit honor Christi, sic salus nostra, sic proximi bonum; iam sine scelere non licet latere.
- Ioan. Sed irritabimus Caesarem: insultare nos credet sibi, atrocius furet?
- Proc. Metuis tibi, cum res agitur? verba fortia crepabas ante, facta exhibe. aut utique Iovi sacrificabis, ne Caesar insultare te sibi putet? hem falsum me! tales educavit vos mater, cui tantillos tam sollicite commendavi, ut curam masculam in id intenderet, ut a cunis disceratis pro Christo expetere, etiam si sit opus, cruenta certamina?
- Ioan. Quiesce, parens: non defuit officio mater. qua volet Christus, ferar, vel si in ferrum et ignes volet. nec mea vox timentis fuit: cavebam tibi.
- Paul. Nempe quia occultare nos Christus non prohibet. prodibimus in publicum, cum erit necesse. ordinem tragoediae turbat, qui in Theatrum prodit, priusquam Choragus iubet.
- Proc. Nunc iubet Deus. quid agent milites, si nemo sit dux? aut exula aut sacrificata! est gravis tentatio; quam pauci vincent, nisi exemplum vincentis videant? videant nos: trahemus cohortes Martyrum, si trahere volumus. signa tollite! sequentur nos!
- Paul. Moves, pater! pro Christi gloria, pro animarum bono, pro salute mea hoc signum palam affigo pectori.
- Ioan. O signum felix! pater, sic sentio incendi animum, ut, etsi sacrificares idolo tu, si idem frater et mater facerent, resisterem solus et verterem tergum Iovi.
- Proc. Sic places equidem. tamen metue tibi: non es fortior illo Apostolo, qui eadem poene iactabat verba; sed cum tentatio praesens fuit, negavit Christum miser et panico prostratus metu commisit, quod

horruit, scelus. omne a Deo auxilium venit: de nobis speremus nihil, pro nobis omnia, sic vincemus. quodsi, ut homines sumus, aliquando trepidat cor, prehendite crucem: Crucifixus solatium, exemplum, auxilium feret.

### Scena quarta

*Accedunt* Volusianus, Adocetus, Marius, Severus

- Volus., Adoc. O iucundum spectaculum! ergo Procopius Christum colit! quantum es praesidium nobis!
- Mar., Sever. Et quantum decus!
- Mar. Vidimus, quibus tu praesidiis tuos praepares ad instans praelium.
- Sever. Iucundum spectaculum fuit. amat nos Deus, qui tantum nobis in tantis periculis misit virum.
- Volus. Tu nobis consilio adsis et filum porrige, quo evadamus ex his erroribus.
- Adoc. Tu es navita, qui regat fluctuantem inter scopulos ratim.
- Proc. Si Christum colitis, in eadem iactor vobiscum navi.
- Volus. Colimus, quousque licet. ut semper liceat, tu efficere potenti eloquio potes.
- Proc. Laboravi: non audit Caesar. alio vertenda sunt vela: a precibus ad consilia, a consiliis ad patientiam. unde venitis? quo tenditis?
- Volus. Auditum est ferale praeconium: stat ara Iovi in mediis erecta castris; iam victimae ornantur, iam Flamines se accingunt scelesto operi. inter Ethnicos plausus est, inter Christianos murmur varium. nam qui latebant hactenus, iam timent prodi; et qui nihil dissimulanter colebant Christum, timent adigi, ut abiurent. hinc varia consilia, discordes sententiae.
- Adoc. Aliis fuga placet, aliis semet sistendi Caesari cupido flagrat, alios moeror et horror in desperationis consilia proiicit, non nullos solatur spes edicti mitigandi, reposita in Constantino, quem putant Christianis non male velle.
- Sever. Nos ad illum accessum quaerimus, supplices futuri, ut saltem executioni moram a Patre impetret: defervet flumen et frangitur ad obicem fluctus.
- Proc. Recte speratis patronum iuvenem: magnus animus et indoles placida pronum ad opem spondent, si potest ferre. sed mihi occurrit aliud, quod iuvel suadere insuper.
- Mar. Oracula loqueris. suade, loquere.
- Proc. Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur. ergo, si vultis servare, concordem esse; si tueri integram Christo iuratam

fidem, discordiam fugite. cor unum sit et una anima, mens una omnium: *nolo sacrificare*. atque ut id constet palam, hanc quisque admotam pectori imaginem ferat; nemo, quis sit, dissimulet. sic quisque se, sic quisque suos conformet nobis. hoc si consilium placeat, duces me vobis in omnem eventum offero.

Volus. Ah! nimis audax consilium est. quid hinc speremus?

Proc. Alterutrum: vel ut glorioso damnemur exilio omnes simul, vel ut Constantius tot ac tantorum commotus constantia, urgere imperium cesset et coepta persequi. videtis, ut omnis salus sit in concordia? ut tot ac tantis se Caesar una die spoliet viris, tam de se bene meritis et bene merituris? quid? non est hoc facinus indignum fide? sapiens Princeps est, gratus est, bonus est: non potest admittere tam stultum, tam crudele, tam noxium sibimet consilium. facite tamen fieri, quod fieri non potest, scilicet beati sumus; eadem omnes manet pro Christo sors, gloriosum exilium.

Ioan., Paul. Laeta sors!

Volus., Adoc. Dura tamen et, quam natura horret.

Sever. Ego hanc sortem amo. vincenda natura est et urgenda in cautes arduas, ubi virtus palatium posuit.

Adoc. Sed quam facile praecipitatur. videmur saepe in fastigio stare, cum repente rotans vertigo caput in ima devolvit miseros, contusos undique et semianimes.

Proc. Nisi fallor, amici, isti nutant. fratres, firmate animos: forti viro ubique est patria.

Mar. Imo Christiano in terris nulla. in ipsa aula exilium est.

Sever. Ego impatiens ultimam expecto sententiam.

Volus. Ah! ista coniuratio in exitium praecipites agit. quantumvis multi sumus, quadruplo tamen maior est numerus Ethnicorum: obruimur.

Adoc. Et nescitis, quoties priores Caesares clade una cum ducibus milites centenos et millenos in odium Christi iusserint circumfuso exercitu cingi et telis configi?

Ioan. Et tu non invides hanc suam istis felicitatem? pugnans pro Caesare, spectante Caesare, occumbis gaudens, si miles es; et moriens pro Christo, spectante Christo moerere ausis, querulari, gemere! o pectus molle! o virum foeminam!

Paul. Non ita ego, quanquam aetate tenerior et minor robore. sit mihi Coelum testis: idem est mihi animus, qui olim pueris babylois fuit. ardere vivus malo, quam Iovi tantillum granulum thuris dare.

Mar. Erubescite, viri!

Proc. Aut dicite saltem, blanditiae Principis an minae terrent? promittat opes, favorem, titulos: nugae! hodie fruar, cras moriar. quid mihi hae ineptiae prosunt? minetur exilium, tormenta crepet, mortem intentet: terriculamenta! nam Deus nempe leviores intentat poenas? minus, credo, ulcisci potest contemptum sui? ah! si quid timendum est, amici, Deum, Deum timeamus! pellatur timore timor. agnovimus Christum; quid prodest, si non confitemur? si nobis est gratia



Constantii quam Dei potior? si ira Tyranni quam Dei formidabilior? eia! date nomina! en, pugillares! quem scribam? catalogus offerendus Principibus est, ut sciant, quos debeant persequi.

Mar. Ego me dicto.

Sever. Ego socius sim. adde Volusianum.

Volus. Siste. deliberabo, quid faciendum.

Paul. Miserescite, Superi! iste deliberat, sitne Deus deserendus an Caesar!

Omn. Miserescite, Superi!

Volus. Averte hoc malum, Deus, ut deseram te. promptus est spiritus, sed caro infirma.

Adoc. Me pudet mei! heroës Christi, orate pro me!

Ioan. Orate! orate! orantibus robur cordis de Coelo venit.

Proc. Perstemus; exemplo magis, quam verbis movebimus. vos, viri fortes, dividite vos: per castra hinc cum vestris ite, nos isthinc ibimus et, quotquot possumus, hortabimur ad constantiam viros nominaque referemus in pugillares, ex quibus deinde descripta Principibus offeram. Deus eventum, quem volet, dabit.

Mar. Consilium vere divinum est: ad unguem exequar.

Sever. Animo altissimis desideriis pleno.

Ioan. Nos tibi haeremus, pater, quocunque ieris.

Paul. In exilium, in tormenta, in mortem.

Proc. In Coelum.

## Scena quinta

Marius, Severus

Mar. Frater, potuitne fortunatior nobis venire prae ista dies? tot votis optata se ultro offert occasio emergendi in lucem et ponendi sedem nobilem in nube vicina Soli.

Sever. Micat amoena spes; sed nisi cauti sumus, potest illa dissolvi nubes et in lachrymas fluere.

Mar. Omnia favent, excepto Christo, quem quidem haud lubens desero. sed quid agam? necessitas cogit et honoris, spei ac familiae ratio; aliter me non extrico.

Sever. Nullum est dubium. nam Procopius firmabit exemplo plurimos, qui sine ipso defecissent; et horum nos officia, dignitas, bona manent, si obedimus. Constantinus me tamen terret: nam si, quod aiunt, Christicolis favet, an favebit deserentibus Christum?

Mar. Iusta facto asserenda est causa. catalogus, quem meditatur Procopius, coniurationis speciem exhibet; utilis explicatio est, cui Ter-

entianus pro suo in Christum odio facile pondus addet. unde accedendus est ipse prior, et ante Caesarem.

Sever. Diceres aliquid, nisi nostrum etiam nomen in Procopii catalogo foret.

Mar. Vmbram metuis. debuimus simulare constantiam, ut essemus consiliorum participes, quae celasset nos utique, si esset suspicatus apostatas. sed properatione est opus, ne Volusianus et Adocetus praeveniant.

Sever. Accurate providus es. certe illi vehementer dubitant, quo se acclinent. nisi festinamus, priores ad Caesarem venient, submittent imperio caput, praeripient speratos honores nobis. nam magna est Principum et studiose affectata laetitia, si certare videant proceres, quis prior obsequium faciat. imus.

Mar. Audi! una tamen se opponit anxietas et cor meum me exprobrat mihi: quantum est facinus, quod committis?

Sever. Scrupulus est.

Mar. Hypocrisis. apostasia, periurium, calumnia, homicidium est.

Sever. Sed expedit.

Mar. Alios per fortitudinis simulationem forte confirmavimus in sancta fide et nos a Deo recedimus perfidi?

Sever. Modo expediat.

Mar. In Principis gratiam abdicamus nos iure Coeli!

Sever. Servimus temporis. quamdiu expedivit, servivimus Deo; nunc cum expedit servire Principi potius, noli credere, aegre ferre Deum, deserere se. bonus est, amat nos. non exigit igitur, ut propter ipsum negligamus nos; non audis clamantem Christum, expedit vobis, ut ego vadam! quid interest vero, ipse, cum expedit nobis, a nobis abeat, an nos ab ipso? nunc occasio est, per aliorum casum nos evahendi, quae si elabatur, quando se offeret alia? occasio redeundi ad Deum multiplex veniet. potest se mutare Constantius et, sicut hactenus Christianis favit, ita aliquando ipse ad Christum converti; et tum revertemur cum ipso in viam. potest Constantinus, cum erit successor, Patris decreta abrogare et restituere fidei libertatem; en, nova poenitendi occasio. denique quidquid futurum est, nunquam futurum est, ut me non possit huius perfidiae pudere et pigere.

Mar. At nempe non quidquid fieri potest, futurum est etiam.

Sever. Fortasse tamen.

Mar. Fortasse non.

Sever. Cessa has argutias. quod decrevimus, scelus est, sed scelus utile; fruamur, dum prodest. cum cessabit esse utile, tum execrabimur et salvi erimus.

Mar. Prope invitum trahis. si malum nostra consilia sortientur exitum, tua sit culpa.

Sever. Mea sit. faciamus hodie, quod placet Principi; quod Deo placet, satis mature fiet, si fiet olim.

- Mar. Heus, o bone; ita loqueris, velut nihil audisses unquam de lege Christi. horror est vel audire.
- Sever. Delicatas tu habes aures; sed audies suavius, cum assueveris sono. audacter opprime latrantem cerberum: audaces fortuna iuvat. neque primi sumus neque postremi erimus, qui per hanc viam ad alta gradimur; trita est satis. quod si te consilii poenitet, vale, solus ibo, quo beata me vocat spes. tu vero in exilium ibis, ubi, quid te cum tuis expectet, attende diligentius. nempe aut fodere debebis aut mendicare, quid resolvis?
- Mar. Vtrumque difficile nimis et dedecoris plenum. neutrum possum: iacta est alea, sequor te.
- Sever. Sic te amo. ad Terentianum cito; doceri debet, quid fiat.
- Mar. Miserere mei, Deus! me uxoris, filiorum, mei ipsius miseret: cogor hoc malum facere.
- Sever. Est malum bonum.

## Chorus I.

Praecones, Michaeas, Angelus Dei Iudicis Vicarius,  
Chorus Angelorum percutientium <XV>, Spiritus mendax, Nuntius

*Poena Principis maxima, Minister improbus, demonstrata in Rege Achabo, quem Deus in poenam scelerum malis Ministris decipiendum permittit. Theatrum exhibet solitudinem, in qua Michaeas Propheta in extasi. eius visio 3. Reg. 22. sic narratur: 'vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum Coeli assistentem ei a dextris et a sinistris.'*

Praec. Ad iudicium! ad iudicium!  
 Mich. Heu! quo rapior? ubi sum?  
 Praec. De Achabo sumendum est supplicium!  
 Adeste, Angeli vindices!  
 Quidquid malorum aut tellus aut orcus parturit, congerite!  
 Ad iudicium! ad supplicium! ...  
 Ang. vic. Fidele satellitium!<sup>2</sup>  
 Decretum est, non ultra parcere.  
 Quem mittam, et quis ibit,  
 Qui impium percutiat? qui perimat?

### Chorus

Ch. Ecce, ego! mitte me!  
 Ego vindicabo te!  
 Nutu iube! prompti stamus,  
 Verbum oris adoramus!  
 Dicis: vade! vadimus!  
 Dicis: fac hoc! facimus!  
 Ang. vic. Placet obedientia,  
 Sed poena decreta est longe atrocissima.  
 Putatis, quod sufficiat aliquis vestrum, ut exequatur,  
 Quod rigidissima  
 Exposcit iustitia?

*Ariose*

Ang. p. I. Quid? ... si, qui olim Sodomam  
 Combussi, nunc Samariam  
 In cinere sepeliam?  
 Ang. vic. Non est par poena sceleri:

---

<sup>2</sup> *Et ait Dominus: 'quis decipiet Achab Regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad?'*

- Atrociorem statui!  
 Ang. p. II. Si ego nubes auferam  
 Et nullam fundam pluviam?  
 Ang. vic. non!
- Ang. p. III. Si ego ripas transeo  
 Effuso cum diluvio?  
 Ang. vic. non!
- Ang. p. IV. Si ego urbes diruo  
 Et summa imis misceo?  
 Ang. vic. non!
- Non est par poena sceleri:  
 Atrociorem statui!  
 Ang. p. V. Ergo ego me iactabo:  
 Fame regnum devastabo.  
 Ang. vic. non!
- Ang. p. VI. Ego pestem inferam!  
 Ang. vic. non!
- Ang. p. VII. Ego bellum faciam!  
 Ang. vic. non!
- Non est par poena sceleri:  
 Atrociorem statui!  
 Ang. p. VIII. Nos vero triumphabimus! ...  
 Dum corpus cruciabimus! ...
- Ang. p. IX. Renes urat calculus!  
 Ang. p. X. Exta rodat volvulus!  
 Ang. p. XI. Pedes liget podagra!  
 Ang. p. XII. Carnem vorent ulcera!  
 Ang. p. XIII. Febris pectus torreat!  
 Ang. p. XIV. Pulmo tabe putreat!  
 Ang. p. XV. Cibus gravet stomachum!  
 Omn. Nullum sit remedium!  
 Ang. vic. Non!
- Non est par poena sceleri:  
 Atrociorem statui!  
 Omn. Ergo Aegyptiacas  
 Plagas repetamus!
- Ang. p. I. Meridiem in tenebras  
 Cimerias vertamus!
- Ang. p. II. Fontes, lacus, flumina  
 In sanguinem mutemus!
- Ang. p. III. Muscarum mille genera  
 Ex aëre creemus!
- Ang. p. IV. Ex terra adsint sciniphes!  
 Locustae producantur!
- Omn. De Coelo ruant grandines,  
 Et fulmina labantur!

Necentur primogeniti!  
 Sic est par poena sceleri!  
 Ang. vic. Non est par poena sceleri:  
 Atrociorem statui! ...  
 Quiescite! et quid velim, intelligite!

*Aria*

- I. Sunt graves istae poenae,  
 Sed adhuc melle plenae;  
 Sic punio, cum moneo,  
 Et diligo, cum punio:  
 Est poena medicina,  
 Quam bonitas divina  
 Propinat aegris animis  
 Ac nondum desperatis;  
 In fundo latet calicis  
 Spes certa sanitatis.
- II. Sed aliae sunt poenae  
 Occulto felle plenae:  
 Cum plecto et, qui plectitur,  
 Se plecti non assequitur;  
 Cum desero peccantem  
 Nec corrigo errantem,  
 Cum sino, ut consiliis  
 Se suis ipse regat  
 Aut impiorum placitis  
 Conformem vitam degat.
- III. Haec poena est horrenda,  
 Haec una metuenda:  
 Sic punio, ut puniam,  
 Et non, ut reum corrigam;  
 Sic miser laetus erit,  
 Qua ipsa hora perit.  
 Sic solent ante tonitru  
 Iam fulmina ferire,  
 Et perit absque strepitu,  
 Quem volo sic perire.

Et haec est poena, ad quam condemno Regem impium;  
 Quem proieci a facie mea, velut miserationis indignum.  
*Puniatur! ...*  
*Sed ut non sentiat se puniri, decipiatur,*  
*Ne forte convertatur.*

Ch. Terribile iudicium! ...  
Sed iustum est supplicium! ...  
Decipiatur!  
Ne forte convertatur!

Ang. vic. At iam, quis decipiet, ut ascendat  
Et cadat in Ramoth Galaad?  
Permitto potestatem, do plenam facultatem!

Spirit. Ego decipiam illum, Ego, Ego!<sup>3</sup>

Ang. vic. In quo decipies?

Spirit. Egrediar et ero spiritus mendax  
In ore omnium Prophetarum eius.  
Promittent illi contra Syros victoriam: credet!  
Veriora dicentem non audiet: cadet!

*Aria*

Sat exploratam habeo  
Naturam Principis:  
Non erit opus studio,  
Est falli facilis.  
Superbus est et credulus  
Ac sui capitis;  
Cupido, spes ac impetus  
Sunt a consiliis.  
Quod optat, credit fore;  
Quod credit, uno ore  
Ministri omnes approbant  
Et suis vota animant  
Insana calculis:  
Est falli facilis.

Ang. vic. Video, aula Achabi est tibi nota penitius:  
Decipies et praevaleris! egredere et fac ita.<sup>4</sup>

Ch. Terribile iudicium!  
Sed iustum est supplicium!  
Decipiatur!  
Ne forte convertatur!

<sup>3</sup> *Egressus est autem Spiritus et stetit coram Domino et ait: 'ego decipiam illum'. cui locutus est Dominus: 'in quo?' et ille ait: 'egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.'*

<sup>4</sup> *Et dixit Dominus: 'decipies et praevaleris; egredere et fac ita.'*

Mich. Heu, triste oraculum! Princeps miserabilis! ...  
*Decipiatur, ne forte convertatur!*  
 Sententia terribilis! ...

*Nuntius, qui ierat, ut vocaret Michaeam, locutus est ad eum, dicens etc.*

Nunt. Michaea! Rex meus te iubet venire:  
 Si vis, in gratiam potes redire.  
 Oravit pro te Rex Iuda Iosaphat,  
 Qui cum ipso descendet contra Syriam  
 In Ramoth Galaad.

Mich. Et quid a me postulatur?

Nunt. Oraculum, quo victoria promittatur.  
*Ecce! sermones Prophetarum ore uno*  
*Regi bona praedicant.*  
*Sit ergo sermo*  
*Tuus similis eorum,*  
*Et loquere bona.*

Mich. *Vivit Dominus,*  
*Quia, quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.*  
 Praecede: ego sequar te.

*Aria*

- I. O Deus! terribilis Deus! ...  
 Turbatus est animus meus! ...  
 Mysterium horribile!  
 Cum parcis, punis maxime! ...  
 Timendus es praecipue,  
 Quo non timeris tempore;  
 Et virga quem non flexeris,  
 Romphea virum subiicis,  
 Domine!  
 Ab hac misericordia -  
 O Domine! - me libera!
- II. Sed bene! meretur perire,  
 Qui grata a suis  
 Quam vera a tuis  
 Ministris malebat audire! ...  
 Posteris, sapite!  
 Deum metuite!  
 Felices vos esse putatis,  
 Cum Deus connivet, erratis! ...  
 Si subtrahit bona monentes  
 Nec abstrahit mala suadentes,  
 Exitio proximi statis.



## Pars secunda

### Constantia Orthodoxa probata

#### Scena prima

Constantius, Constantinus <et postea Terentianus>

- Const. Ita, Auguste Genitor, explicavi me tibi totum, quoniam sic urgebas. hoc habe breviter: Roma, parum abest, quin Christianum me fecerit. itaque amo homines et, ne persequi velis, iterum oro. si audiri non mereor, abdica filium; grave est, sine Procopio vivere, in exilium cum illo ibo.
- Con. Video te fervere. confide, magna voluptas est mihi, audisse te et, qui sis, iam penitus nosse. Roma poene Christianum te fecit! admiror potentiam Christi! nam ego toties te mihi reducem volui, non tam ut facerem collegam imperii, quam quod metuerem, ne odisse Christianos in consortio Tyranni disceres. didicisti amare. laus Christo sit et post Christum Procopio, cui praeter caetera, non dubito, quin hoc etiam beneficium debeas.
- Const. Beneficium vocas et benefactorem expellis? ah! illudor!
- Con. Diffidere Patri cessa: explicasti te mihi, explicabo me tibi. audi solers. hoc primum scito: si tibi est animus Christum sequi, nil me opono, probo insuper; quin et praeibo.
- Const. Sic sperabam equidem. sed aliud haec iussa probant.
- Con. Non possis patiens audire me? crede, fili, plures uno non credo Deos, unum adoro; nam uni me soli totum debeo, scio.
- Const. O Superi, quod gaudium audio!
- Con. Non sum ita insipiens, ut opinari hoc possim, quod me pluribus debeam. quod enim signum, quae ratio est, quae saltem species argumenti? ut sim, quod sum, potuit unus facere: certe. aut si non potuit, apage miserabilem Deum! si vero me facere unus potuit, utique unus fecit; nam qua prudentia adscivisset alios in societatem operis, quod poterat solus facere? forte, ut citius, ut sapientius, ut facilius faceret? indigna homine cogitatio. ego sic persuasus sum: qui Deus est, unus sufficit ad omne opus; et, qui non sufficit, non est Deus, proinde aut nullus est Deus aut unus solus.
- Const. Quam me recreas hoc sermone! si tamen sentis, ut loqueris, quare, quem credis unum, unum non profiteris? cur dividis in ea cultum, quae non sunt Deus?

- Con. Absit, ut faciam, quod me arguis. iam diu nostris nullum exhibui cultum Diis; ut alii colerent, toleravi. nam ut aris deiicerem, quo fructu tentarem in tanta multitudine devotorum? tibi reservatur haec gloria; tu, nisi me animus hic tuus fallit, primus eris Imperator, qui eversis profanorum Numinum delubris templa Dei unius consecrata honoribus ubique terrarum substitues. o cresce in spes altissimas, in quas es natus.
- Const. Vtinam vates sis! sed quis sum ego, ut tanto operi me putes parem?
- Con. Solus non eris par; cum tuis eris, sed scilicet cum selectis. nescis, quid possit Princeps cinctus selectis proceribus.
- Const. Auguste, quo evagaris? scilicet ut distrahas mentem in curas alias et a cura Procopii avoces? ah! si tanti momenti est, selectos habere proceres, cur aufers hodie? tune meliorem Procopio dabis?
- Con. Aut ipsum aut meliorem. per ambages deducendus es in penetralia paternae mentis, ut via planiore pervenias. perge ire. selectis cum proceribus prope omnipotens Princeps est: nihil est illi difficile, quia nunquam deesse possunt, qui suppeditent media; nunquam, qui feliciter applicent. hoc unum est difficile Principi, ut haec selectio, quanti momenti est, tanta cum cura fiat. ego duo tibi praecepta trado. inter Ethnicos et Catholicos aliquamdiu vivendum est tibi: Ethnicos noli offendere, hoc primum est; Catholicos stude colere, hoc est alterum. Ethnici ad fidem invitandi sunt, non pertrahendi: patientia! exemplo, promissis benevolos facies, ut tractabiles sint ad salutem. quod si Catholicos praecipuo honore colis, si prae aliis evehis, si familiarius uteris, quantos viros superstitionibus subtrahes, primum quidem illectos spe bonorum, quae ostentas; sed mox percepta legis Christi dulcedine, non ficta fide adhaesuros Deo, quem colis. atque hac arte efficies, ut ex utraque gente optimi quique ipsi se seligant et certent adiungi tibi.
- Const. Sed iam in ipso certamine difficultas se ingeret, ut optimos discernam a reliquis. nam et illud occurrit, fieri posse, ut optimos putem, qui pessimi sunt.
- Con. Tangis punctum; adverte igitur. tres ego in Ministro dotes requiro: sit peritus in negotiis officii, quod ei committis; sit industrius in executione imperii, quod imponis; sit prudens possitque sibi et tibi consulere in eventibus non praevisis. tales omnino nautas sapiens gubernator seligit, nisi velit a turba remigum in syrtes et scopulos trahi.
- Const. Experimenta peritiae, prudentiae, industriae ut ego capiam, priusquam seligam, quo modo id fiet?
- Con. Nempe documenta a puero dederint, aut aliorum testimoniis credes; utrumque obnoxium fallaciae est. itaque tribus his ut addatur dos quarta, curabis, nempe fidelitas. fidelis qui est Principi, neque acceptabit officium, ad quod est ineptus, neque, si acceptavit, fungetur neglectim. nunc propius in nostram rem. si infidelis Minister

sit, etsi caeteris dotibus polleat, quam sit perniciosus, satis, opinor, ipse intelligis.

Const. Satis, omnino. quin quo quis officii peritior est, eo tutius fallat; quo prudentior, eo nequius consulat; quo magis industrius, eo cautius laborabit pro se. sed quid agas? ut scirem iudicare de fidelitate hominis, cor inspicere deberem et Deus esse.

Con. Aliud est medium super. quanquam si eligis Ethnicos, fateor, nulla te documenta securum fidelitatis praestabunt; mutantur etiam constantissimi, si nihil est intus, quod tenet. hinc monui, ut vel Catholicos eligeres vel faceres. huc igitur, si vis optimos, huc confer industriam et experimenta applica, ut scias, num sincere in Christum credant. si mores exhibent vix diversos ab Ethnicis, si fidem venalem habent, parati mutare, cum expedit statui, hos tu scito canepius et angue vitandos esse. neque enim sapienter credere potes, illos tecum verecundius agere, quam agant cum Deo. iurant fidem tibi: per quem iurant? per Deum nempe. ergo si Deo non servant fidem, per quem iurant, num credendi sunt servaturi tibi, cui iurant?

Const. Penetro argumenti vim. vis igitur, ut, an fideles sint mihi, ex moribus arguam: si timent Deum, si horrent offendere, si plus reverentur quam me, his me tradam, his tuto utar; secus a me pro perfidis abigam.

Con. Prorsus ita ut sit haec tua in observandis Ministris regula: non est fidelis Principi, qui non est Deo. iam hoc ut scias, an teneant Deo fidem, interdum tentandi sunt. modum exemplo doceo. nondum probas?

Const. Sacrificium intelligis?

Con. Ipsum. si sacrificat Ethnicus, tolera: nunquam iuravit fidem; si Christianus, violavit iuratam fidem: eiice! novo Caesari novos proceres adiungi ex optimis volo, hic modus noscendi est. placet tandem?

Const. Suspicio sapientiam et curam paternam aestimo. sed - heu me! - si victus exilii metu Procopius sacrificet Iovi! illumne a me dimittam?

Con. Frustra times. si Procopius dignus est, ut ametur, Christo servabit fidem; si non est dignus, amare cessa. hodie documentum dabit. tu confirma te, compone vultum, urge imperium: quo eris magis serius, hoc gloriosior est Procopius

Const. Confido virtuti viri. quid tu petis, Terentiane? tempus sacrificii est?

## Scena secunda

Constantius, Constantinus, Terentianus, Marius, Severus

Terent. Tempus est: parata sunt omnia, Caesares, praeter illos, qui deberent peragere; atque hoc questum venio. imperium totis castris insonuit praeco, nuntiatum est adventus Principis, promulgata denuntiatio belli inferendi Tyranno, et decreta electio in collegam imperii; applausum est clamore concordii. verum ut sacrificium indictum est, cum intentata se subtrahentibus exilii poena, varium murmur fuit, et scilicet, quod praedicebam, tumultuatum est, laudantibus aliis, aliis non obscure reprehendentibus religiosum imperium. ex cuiusque vultu conspexissetis, quis Diis, quis Christo addictus esset: tantum repente discrimen fuit; et abibant catervatim deiectis oculis, corrugata fronte, inter se mussitantes et conferentes capita in nescio quale consilium. admonui duces, ut caverent, ne quid turbaretur; sed nec ab his quidem eodem oris habitu auditus fui. ergo prope ad vos redeo, hic audio novum malum: Procopium etiam cum Christianis sentire. expallui ad viri nomen, nam et affinis est meus et amicus olim in paucis charissimus. gemui et mecum tacitus, 'qua res evadet', aio: 'Procopius Christianis favet! quantus vir! verbo, exemplo animat, ne obediant Caesari! heu! ducem habent; quid restat, nisi ut habeant Caesarem etiam!' ita dum queror, subiungitur mihi: et habent Caesarem, nam Constantinus - ignosce, Princeps: audita narro - Constantinus a Procopio perversus odit Deos, Christum amat.

Const. Hoc de me? quis?

Terent. Marius et Severus omnia.

Con. Marius et Severus non et ipsi adhaerent Romanis sacris?

Terent. Puto, adhaesisse. poenitere videntur; nam ab illis tota narratio est. audire ipsosmet placet? avide expetunt: expectant, dum vocentur.

Con. Voca. filii, nosse animos incipe; en, se produnt.

Mar. Prostrati ad sacros pedes rogamus veniam diri criminis, cuius nos sistimus sponte reos, sed poenitentes.

Sever. Et execrantes temerarium facinus, quanquam ab invitis commissum.

Con. Clementes habetis iudices, si narratis fideliter et syncere damnatis.

Mar. Damnamus! haec causa impulit, ut ausi simus sperare veniam, quia poenitet facti.

Const. Cuius et a quo facti?

Sever. Coniuratum est.

Con. Coniuratum? ubi? quando? adversum quem? quo auctore?

Mar. Narro seriem. colebamus cum pluribus Christum, non ita pertinaciter tamen, ut vellemus nos opponere Caesari. itaque cum promul-

gatum sacrificium est et murmurarent alii adversum vos agitent-que consilia Maiestati periculosa, clam a turba discessimus, ne involveremur maligno consortio. vitavimus Charybdim, incidimus in Scyllam: euntibus obvius Procopius cum filiis fuit, pendebat singulis ad pectus crux, et animabat filios pater ad fortem contumaciam. stupuimus; nec enim scivimus antea Procopium Christianis favere, cum ille ad nos conversus, voce imperiosa, 'Christiani estis', inquit, 'inquietum animum ex vultu colligo: turbavit edictum Caesaris.' nos siluimus; nec enim negare licuit, quod frons, oculi, tota facies garriebat. ergo instare ille, animare ad pugnam, hortari ad constantiam institit tamdiu, ut tandem victas dederimus manus et promiserimus audire consilium.

Sever. Sed ficta promissio fuit, ore facta, non mente, ne crederet, a nobis proditum iri, quod moliretur. continuo, quid vellet, exposuit: castrorum partem, qua circuiremus, designavit; alteram iam circum cursat ipse, ut, quotquot potest, firmet in cultu Christi. singulorum nomina collecta vobis deferet, credo, ut multitudine se opponentium territi cessetis urgere imperium. vos, an non hic aliud malum lateat, attendite, Caesares: vir potens est et amatur. nostrum hoc scelus unum est, quod in rebellium catalogo post Procopium passisimus nos primos scribi.

Mar. Aboleat hanc culpam poenitentia sceleris, quam videtis nos primos agere.

Sever. Tenete iram, cum legetis nomina deprecantium scelus. nos fidem servamus vobis.

Con. Simulata poenitentia est. si vultis, ut credam vobis, sacrificandum est Iovi.

Mar., Sever. Sacrificabimus!

Const. Sacrificabitis exilii metu, Iovi ad speciem, revera Christo. nam, quod, qui serio semel iuravit Christo et fidem tenuit, abiuret serio, Auguste Parens, ego non credo.

Mar., Sever. Per Iovem iuramus serio, non credimus Christum Deum, non colimus Dominum.

Const. Iurastis cultores esse.

Mar., Sever. Poenitet.

Const. Cur poenitet? malum aliquod Christus fecit?

Sever. Nullum fecit; faceret, nisi ab ipso deficientes rediremus ad Iovem, faceret enimvero grande malum, cum exulare a vobis cogeret.

Con. Si tamen credidistis Christum Deum esse, defectionem ne vindicet, non metuitis?

Mar. Deum credidimus, non credimus modo!

Const. Eccur credere iam cessastis?

Sever. Quia non expedit credere, cum prohibet Caesar.

Con. Plus ergo me timetis quam vestrum Christum?

Mar. Et plus amamus.

- Const. Sed audio, poenas aeternas intentari deserentibus Christum: non timetis?
- Mar. Cum desinimus Christum credere, etiam credere infernum desinimus: nullus est.
- Const. Si tamen est infernus, num ideo cessabit esse, quia vos cessatis credere?
- Sever. Equidem si est, non cessabit esse; sed nos tamen cessamus timere.
- Mar. Vrgere parcite, Caesares; recipite supplices: tantus est amor vobis servire, ut, si propterea carendum sit Coelo et ardendum in inferno, eligere malimus utrumque quam vestra gratia et hoc aula excludi.
- Con. Magnus amor est, sed nondum facitis plenam fidem. credam vero, si, donec veniamus ad sacrificii locum, dissimuletis hanc vestram defectionem ac tum primi omnium dabitis thura Iovi. spes est, plures posse exemplo trahi. in omni actione difficili arduum est primum esse; primum sequuntur plures.
- Sever. Sic fiet, Caesares: trahemus exemplo plures.
- Mar. Trahemus omnes.
- Const. Potestis mereri gratiam.
- Con. Tu accerse Procopium: quousque progressus sit, ex ipso sciam. venire si gravetur, gravius reus est; praetoriam cohortem adhibe, et ad tribunal trahe.
- Const. Magna sunt viri merita; sed ut impune contumax Caesaribus sit, non excusant.
- Terent. Imperium facio.
- Sever. Cave nos Procopio prodere.
- Terent. Audivi praeceptum. dissimulate vos.

### Scena tertia

Marius, Severus, Volusianus, Adocetus

- Sever., Mar. Vivite, o nostri Dii! beati sumus!
- Mar. Iam ego mihi videor paludatus incedere et trahere ducale syrma tanto cupitum ambitu. quod tot laboribus, per tot pericula, toties fuso sanguine comparare non potui, iam pro uno thuris granulo meum erit.
- Sever. Strenue promovimus navem, portus vicinus est. unus superest labor, ut confirmemus nutantes, ne, si quis nobiscum deficiat, prae nobis proficiat. splendeat hoc signum foris et oculos simplicium mentito fulgore fascinet. sic triumpho.

- Mar. Exemplum sequor. fingamus strenue: instar cautis te immotum in fide exhibe. haec ars est artium, vel sagacissimos fallere. veniunt. salvete, fratres, et gratulamini nobis!
- Volus. Gratulemur? praeco extremum imperium sonuit: hac hora est convasandum. aliud vobis innotuit bonum?
- Sever. Bonum optimum, triumphat Christus.
- Adoc. Triumphat Christus! beati Coelites, quod gaudium audio? narrate avidis, quid acciderit novi.
- Mar. Audite, quanto nos robore et quam feliciter iniverimus pugnam. Terentianus ex cruce agnitos traxit ad Caesarem. hic sensimus verum, quod Christus promisit: 'cum ad Reges et Praesides ducemini, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.' stupete fortitudinem animi, qua tunc nos induit ex alto Deus. ego prior, 'Caesares', inquiebam, 'quanta ego vos hactenus veneratione colui, tanta, ignoscite, tanta iam cogor execratione abominari, quando vos video ex Imperatoribus degenerare in Tyrannos nec iam corporum contentos imperio, etiam imperare conscientibus velle.'
- Volus. Heu! tali exordio non poteris benevolos facere.
- Mar. Neque volui. exacerbare potius desiderium fuit et concitare, ut atrocius furerent, quo nobis obtingeret illustrior corona Martyrii.
- Sever. Subieci ego stupentibus audaciam nostram et iam per rabiem mordentibus labra: 'quid cessatis? exilium destinatis non sacrificantibus sacrilego Iovi. parum est! rogos, enses, rotas expedite, immitte belluas, tortores armate! iuvat pro Christo mori.' mox spiritu incitator dissolvi vestes, nudavi collum, pectus obtuli, porrexi brachia et, 'eia', clamabam, 'quod placet membrum? Tyranne, feri! fode ungues, articulos trunca, linguam exscinde, suffoca guttur, oculos erue! aures et nares mutila! quid petis amplius! feri et, quem petis, cruorem hauri!'
- Adoc. Pro! quae est haec stultissima fortitudo! per hanc insaniam rem Christianam omnem pessumdedistis.
- Mar. Quid tu loqueris? ecce, frater, quam bonus sit Deus! praeter Tyranni rabiem hoc nostro decori addit Deus, quod a fratribus peius quam ab hostibus habeamur. stulti, insani sumus: io! stulti propter Christum! te Deum laudamus!
- Sever. Ita animales homines non percipiunt, quae sunt spiritus, et sapientia Christi stultitia est sapientibus secundum carnem. o stulti et tardi corde! vos scilicet vestra trepidatione, vestro metu, vestro puerili fletu rem Christianam sustentabitis? canes muti non valentes latrare, sic ovile Christi custoditis?
- Volus. Parcius, sancti Martyres, parcius ista viris? nam et nos scimus, quid deceat. loqui decet, cum fides in periculo est, sed in loco, in tempore, cum decore, fortiter, ita est, fortiter, sed prudenter.
- Adoc. Sic loqui, ut vos locuti estis, non est loqui, sed furere. prudentes Principes, qualis est noster, non sunt impatientes veritatis, si, qui

loquitur, prudens est. aut cui putabatis vos loqui? nesciebatis Constantium virum esse utique dissimilem Galerio, homini rustico et ex hara in solium imperiale evecto? Galerio, Galerio si sic essetis locuti, excusarem factum, quia spes non erat, ratione duci illam belluam posse. at Constantius, tantae sapientiae, tantae moderatationis, tantae mansuetudinis Princeps, quam facile poterat permoveri, primum, ut differret executionem decreti forte per impetum facti, deinde vinci rationibus opportune propositis, ut etiam revocaret.

- Mar. Eleganter. vide hic, frater, religiosum politicum! et quorsum abiit Evangelicum illud: 'nolite timere eos, qui occidunt corpus'?
- Volus. Et ubi est politicum illud: 'estote prudentes, sicut serpentes'? qui cavet, non ideo timet malum.
- Sever. Quid vultis? audite totum et tum de prudentia iudicate. ecce, nihil evenit mali. attonuit Tyrannum haec fortitudo, coegit laudare nos et liberos ac illaesos dimittere.
- Adoc. Nempe plus sapuit et miseruit illum insaniae vestrae, cui si vos relinqueret, credidit, abunde punitos esse. sed iam spes omnis periit faventis aureae! submersa est Religio Christi per istos Deicidas: non potest placari Caesar! eamus, paremus iter.
- Volus. Iratus es. non decet discedere offensum fratribus: in quo peccarunt, imprudentia, non scelus fuit; hac Deus utitur, ut ad coronam vocet.
- Adoc. Verum loqueris; et idem sentio, cum spes evanuit vitandi malum, succedere fortitudinem tolerandi. ut trepidat ante praelium miles, quem videas cinctum hostibus ardere totum et provocare pugnando mortem, sic mihi lapsus animus in pectus rediit, cum video non posse pugnam effugi. ignoscite propero Zelo: fratres sumus, pugnemus simul!
- Mar. O verbum iucundum, pugnemus simul! vix lachrymas laetitiae testes teneo!
- Sever. Vivite, fratres! haec una hactenus nos cura pressit, ne vos cadatis. beastis nos! pugnemus simul! en pugnae ducem.

### Scena quarta

*Accedunt* Procopius, Ioannes, Paulus, Terentianus

- Terent. Ita me cogis odisse te. at vos urgete fortius virum, si amatis, ut tandem Caesaribus pareat. audivi minas Principis: 'magna sunt viri merita', dixit, 'sed ut impune sit contumax, non excusant.'
- Proc. Terentiane, talia inimico suade, si placet, tuo. ego scio, quid mihi prosit. tu multo es miserior me, et ego exul esse quam caecus malo.



- Terent. Fiat tibi, sicut vis. at me poene vitae piget, quod auctor primum et iam minister etiam sim tanti mali. veniam da! nunquam sic meus arsisset in Christi cultores furor, si te scivissem unum ex illis esse.
- Proc. Haec cessa queri et a Christo deprecare iniuriam. ego felix sum et opto, ut possim eiusdem te mecum reddere felicitatis participem! sed mone Caesarem, adesse me et suprema expectare mandata, paratum exequi, quidquid non iusserit contra Christum. amici, gratulamini Christo! magnus est numerus cultorum eius. catalogum scripsi! legat Caesar, quot et quantos amittat viros, si Christianos eiciat. vos nullos scripsistis?
- Mar. Ah! in opere tam praeclaro occupatos Terentianus ad Caesares traxit. irati ambo nostris conatibus, abire ex conspectu iusserunt nec nisi sacrificio peracto redire. obstinaverunt se, exulandum est.
- Proc. Irati ambo! etiam Constantinus? ah, Constantinus unus est, qui mihi difficile exilium facit. quam parum absit a regno Dei, ego novi. Galerio te subtraxi, o anima nobilis! Galerio nocentior Pater est: poene me beneficii poenitet. nam quid est factu pronius, quam ut filium pervertat Pater, nisi, quod videtur, iam nunc perverterit.
- Volus. Spes omnis concidit. nostri te misereat, quorum, o dedecus, adhuc in hoc catalogo non extat nomen.
- Adoc. Adscribe, obsecro! sero sistimur, serio pugnaturi.
- Proc. Sat cito, si sat bene. preces audio, scribo nomen. Deus vos auro scribat in libro vitae. ultimos insero, primi fervore este!
- Volus., Adoc. Conatu erimus.
- Proc. Ergo ite in castra omnes et, ne quid mei causa turbetur absente me, habete curam. tentabo ultima, ut ad meliora consilia Caesares moveam. si ad vota succedit conatus, laudabimus Deum; sin minus, laudabimus iterum. nunc hoc agendum, ne quis de nostris loquatur aut agat aliquid, quo in reverentiam Caesaribus debitam peccatum fiat. hoc cavete.
- Omn. Erit haec nostra cura.
- Proc. Innocentes nos decet pati. Christum infamamus, si discedimus exules cum infamia. una exilii causa Christus sit; si accedit culpa, miseri sumus.
- Omn. Vna exilii causa Christus sit! dividamur.

## Scena quinta

*Accedit Constantinus*

- Proc. Da verba, Christe, quibus pertinaciam frangam. in tua manu sunt corda Regum: flecte tibi! doma Constantium, Constantinum serva! filii, sat fortes estis? nunc res agenda! iuvate me; reverenter quidem, fortiter tamen dicite, quidquid loqui exiget honor Christi. alta sapite! sursum corda! nulla pectus promissa moveant, nullae quantiant minae: ad Coelum nati estis.
- Ioan. Nihil metue nobis, pater: nunquam videbis degeneres tibi.
- Paul. Provocare hostem ausim, et animus in victoriam prurit. vis, ut impia palam execrer sacra et infame simulacrum Iovis ex ara turbem? ruo, quo tot heroum exempla trahunt.
- Ioan. Et si hoc facinore efferatus Caesar exilium in mortem mutet: an vita tanti est? moriamur! eia! probas consilium, pater?
- Proc. Fervorem laudo; temperatum velim tamen, donec, ut sese totus exerat, poscat tempus. en, Caesar prodit.
- Const. Procopi! maiora sunt tua in me merita, quam ut offensa una possint obliterari. sequestrum me pacis tibi apud Parentem offero, si admittis consilium. quod tu cum tuis oblucteris imperio, vix toleraret alius Principum, etiam qui regnum deberet tibi; neque enim qui Regi utile servitium praestitit, ideo servus esse cessavit. nunc cum audivit Caesar, id insuper a te agi, ut ab obedientia etiam alios abstrahas, quod circumiveris castra, confirmaveris dubios, obstinationis consilium affixa ad pectus cruce palam iactaveris, quo - nam tu ipse iudica -, quo animo potest hanc audaciam subditi Imperator sufferre? per ego te illum amorem obsecro, quo te, velut si pater esses, prosecutus sum semper, cede aliquid de illa tua Religione austera nimis. quid diem tam felicem mihi aspero vultu temeras? obsequere semel aut saltem te obsequi simula: mitescet genitor, et paulatim in tua uterque vota lubentes ibimus. nihil est praecipiti consilio nocivum magis; illustre facinus mora perficit. qua ego mente in Christum sim, nosti satis, et ausim Patrem eodem trahere, nisi tu obicem ponas. vide, quam tibi et mihi noceas.
- Proc. Princeps, non oportet me respondere ad ista tibi, quia cum Deus imperat, nullus audiendus est Imperator. nihil omnium, quae feci, poenitet. accipe, quos numero, propositi sancti socios. catalogum scripsi, porrige Caesari: videat, quantum beneficium faciam repugnando, nunc fidelis maxime, cum contumax sum. quid enim hac circumcursatione volui? quis animus fuit, nisi ut consilium tam noxium vobis, quod improbare alius nemo est ausus, efficaciter dissuaderem; quod mihi visus sum non posse agi felicius, quam si palam omnes ore, signis et calamo se proderent, qui Christi essent.

sic enim et non aliter evidentius cognoscitis, quot et quanti viri uno edicto damnentur. quodsi tanta vos nihil iactura moveat, iuvat ire, quo Christus vocat. te ego, Princeps, miseror, quem abeunte me video relinqui sibi et recta in interitum ire. o quis te error fascinat? Patrem revereris prae Deo! quis magis est pater et a quo certior tibi felicitas venit? ah! si quid olim de te bene Procopius meruit, ne exue animum Christo affectum bene! cogita, quos audisti, quos ipse Tyrannos nosti, qui contra Christum sanguineo feroces vexillo moverunt bellum, quis tenuit feliciter sceptrum? quis placide vitam finiit! quis non documenta hostibus Christi formidanda de se reliquit? et ego te videam in haec vestigia ruere? nam quid ex his iniitiis arguam? non audes Patris decreto vel per preces obsistere et exemplo audebis? primo aspectu victus te hostis nostri arbitrio tradis, tot cinctus heroibus, quot Christiani in castris sunt; et his eiectis, solus et unus pugnabis Patri, ex prima victoria magis ferocientis? ah! non pugnabis, video, non pugnabis. o miserum iuvenem! o spes fallaces! o infelices labores meos! o Princeps, gaudens aulam desero, gemens te! timeo ...

Ioan. En, verba abrumpit dolor!

Paul. Et talem a te dimittes?

Const. Facite, ut cedat et simulet saltem.

Ioan. Ah! quid loqueris? video, nondum satis est nota tibi sanctitas nostrae legis. ut fictionem adeo turpem Christus ferat? apage! nihil peius quam mendacium odit, qui veritas est. ecce, qui tibi ex cruce pendens languere et torpere totus et frigere videtur: vivit, si nescis, vivit et regnat in Coelo, unde venturus est in fulminea nube, ut damnet eos, qui, hanc nuditatem erubescences, non ausi sunt coram hominibus confiteri filium Dei.

Paul. Hic tu metue tibi, Princeps, tu, quem Christiana mater in lucem edidit; qui tot vidisti Romae prodigia fieri, tot simulacra sterni, tot viros claros pro Christo mori; cui Procopius tot monitis institit, tot argumenta attulit, tot dubia dissolvit. noli huic tuae, quam ego venerabundus exosculor, purpurae fidere: cum ad Iudicem veneris, ista non proteget. vide, obsecro, quam nihil pro nobis, toti pro te solliciti simus. miserere tui!

Ioan. Miserere tui!

Const. Terentiane, quid tu existimas? verene aliquid a Christo timendum est mihi?

Terent. Ego, quid possit, nescio. posse aliquid nunc primum suadet huius viri auctoritas. Princeps, iuva! eximantur Christiani, ne sacrificio adesse debeant, ipse rogo.

Const. Non licet. egi omnia apud Patrem: urget. quia tamen te amant, Procopi, voluit, ut ego loquerer tibi, ratus fore, ut facilius persuaderem, ne nihil cederes. redibo igitur infecta re? insuper catalogum feram obstrepentium sibi? apud subditos nihil impetro, apud Patrem sperem? quod tu credebas remedium esse, obstaculum est:

ipsa multitudo hominum, quam iactatis, irritavit, ut sacrificium urgeat; sperat minorem numerum fore, cum videbunt rem agi serio. sic enim comparati sumus: multi sunt fortes ante pugnam, qui, cum pugnandum est, terga vertunt.

Proc. Neque saltem ultimum alloqui Caesarem licet?

Const. Nisi feram a te responsum modestius, non licet.

Proc. Bene est. ergo accingamur itineri. Princeps, vale! audiat Coelum et gratuletur! servivi Principi propter Deum; eiicior, quia servire nolui contra Deum. utrinque beatus sum! beatissimus nunc, cum incipio servire soli Deo, propter se.

Const. Abis? heu! quo adigis me? deseris?

Proc. Ne deseram Deum.

Const. Rupes es! nihil te movet?

Proc. Nihil.

Const. Bene est: abi, si potes. totus non abibis. ego filios mihi teneo. Terentiane, tua custodia sit.

Proc. Filios a patre abstrahis?

Const. Vt retineam patrem.

Ioan. Heu! mactas nos, Princeps, atroci consilio! sic odisti? quid offendimus enim, ut esse captivos velis?

Const. Captivos volo, ne exules sitis. sic amo.

Ioan., Paul. Nos patrem sequimur.

Const. Me vetante?

Ioan., Paul. Filii sumus.

Const. Non sum Dominus? quid Procopi, etiam hic te oppones?

Proc. Quid dicam? vim minaris, an licentiam petis? si primum, patior; si alterum, nego.

Const. Negas amanti?

Proc. Vel ideo noces.

Const. Mihi ut sint a cubiculis, volo.

Proc. Mecum eant.

Terent. Sic ego certarem, si filium tibi peteres, Princeps, meum? amice, quantam et cuius tu gratiam spernis?

Proc. Ne Dei gratiam amittant filii. suspicio amorem, Princeps; intelligo, quanti Procopium aestimes, quem sic honoras. sed qui honoras servum, torques patrem. parce, obsecro, nec me a me ipso divide.

Const. Tu te dividis.

Proc. Heu! initiari pueri se sinent Iovi! hoc ferat pater?

Ioan. Hoc metuis? ... frater, sic noti sumus?

Paul. Hoc scito, Princeps, si, ut pervertas, retines, inani te palpas spe! ante ego ardebo vivus, quam per me granum thuris minimum fumet Iovi.

Ioan. Ante ego discerptis sanguinem spargam membris, quam flectam genu futilibus Diis.

Const. Non istud agitur. tenere patrem per vos est animus; si dividi vos aegre fertis, rogate, ut sacrificet.

- Ioan. Horruerunt aures! ut suadeam patri scelus, quod ego execror? i, perge, pater; in ultimam te Thulen abripe! opto, ut nunquam te videam iterum et, ne redeas, votum Christo faciam.
- Paul. At ego affusus genibus gratiam exilii peto: possumne per patris merita orare minus?
- Const. Abstrahite.
- Ioan., Paul. Pater, nihil metue nobis: auferre te nobis possunt, Christum non possunt. vale et consta tibi!
- Terent. Princeps, nunquam ego tale spectaculum vidi.
- Const. Ego saepe. sed hora est sacrificio destinata. Procopi, sentis te hominem esse? delibera cito! mihi ignosce amicam vim: cogit amor.

## Scena sexta

Procopius *solus*

- Proc. Crudelis amor. enimvero sentio me hominem esse; nam quantus se movet modo, tantus nunquam fuit tumultus cordis. trepidat constricta utrinque pietas formidine sceleris. Christum desero! scelus est; filios desero! scelus est. et non est medium: alterutrum ut eligam, est necesse. o cuius causa hoc tantum tormentum fero, suggerere consilium, Christe, quod me expediat tam gravi malo! ah! filios relinquam pater, agnos in medio luporum deseram? ut forti sunt animo satis, tamen iuvenes sunt; et quantillum sufficit, ut se iuvenis mutet! infelicium omnium infelicissimus ego sum, si alteruter se Diis mancipet, deserto te! quos ego Romae vidi pro te ad necem rapi, ibant gaudentes! merito, nam aut carebant filiis aut cum illis ibant. at ego ... quid angar tamen? scilicet ego ille sum, qui filiis constantiam dabo? hem, metum vanum! nempe ut sic emolliat paternum cor, hoc mihi malum fingit malignus Sathan. tibi, Christe, dicavi filios: in tua cura sunt, a te est robur. quid a me sperent? tu illis sufficis. pudet trepidasse! securus exulo.

## Chorus II.

Michaeas Minister probus, Sedecias coriphaeus inter improbos, Ioram et  
Ochozias Filii Achab, Ephebi, Sacrificuli, Milites, Aula, Cives

*Achab ab improbis Ministris male deceptus, misere perit.  
Theatrum exhibet lucum, quem urbs Samaria terminat. ad dextram ara Baalis.*

Ioram. Non me decipis, Sedecia?  
Certa est de Syris victoria?  
Sedec. Certa est, nisi credis mentiri oracula ...  
Audite, incolae; cives Samariae, audite!  
Hac hora reducem videbitis Regem:  
Victori plaudite!  
Victoriae auctorem Deum laudate! io! laudate!

### Chorus Sacrificulorum et Civium

Ch. Io! io! triumphum cantate!  
Victori poeana clamate! ...  
Periit Syria!  
Plaude, Samaria! ...  
Baal vicit! Baal Regem protexit!  
Baali Syria herbam porrexit!

Mich. *irridens*  
Io! io! triumphum cantate!  
Victori poeana clamate! ...  
Periit Syria!  
Plaude, Samaria!  
Baal vicit! Baal Regem protexit!  
Baali Syria herbam porrexit!

Ioram. Adhuc obmurmuras, stolide? ... rapite!  
Plectatur pertinacia! ... hic pro victoria,  
Vt primum redierit pater,  
Deo, quem despicias, cades victima.

Mich. O misera conditio Principis,  
Qui iam a puero decipi gaudet iucundis mendaciis!  
Iorame! si Achab redierit in pace - *audiat omnis populus* -,  
Non est locutus ex me Dominus!

*Michaeas rapitur immolandus.*

Sedec. Mihi, mihi locutus est Dominus! non tibi ...  
 Princeps! nihil metue verba inania!  
 Cultrum praepara!  
 Tua manu decet, ut Baali immoletur haec hostia.

*Aria*

- I. Assuesce Prophetas ridere,  
 Qui Principes gaudent terrere,  
 Qui nuntiant tibi  
 Nec sciunt, quod sibi  
 Immineat malum a te.
- II. Sunt homines crudi, audaces,  
 Verbosi, superbi, fallaces:  
 Si audis, inflantur,  
 Per aulam bacchantur,  
 Imperium trahunt ad se.
- III. Spelaea bubonum sunt aedes;  
 In Regia nulla sit sedes,  
 Quas alis, sint aves,  
 Iocosae et suaves,  
 Quae canant, quod recreet te.

*Liberat eum Ochozias ex acie fugiens et mendacem Sedeciam trucidat, quod ei  
 Michaeas non obscure praedixerat.*

Mich. Praeceptum hoc est musici, non aulici! ...  
 Sed hem! quem vides ingredi?  
 Ioram. Io! vive, frater mi!  
 Ochoz. Heu! heu! frater mi!  
 Vix manus Syrorum cum his paucis evasi! ...  
 Et tu ades, Propheta mendacissime!  
 Quem ego ...  
 Cito, cito, miles: fugientem persequere! ...  
 O Michaea! tibi oportuit credere! ...  
 Vincula, iubeo, vincula solvite! ...  
 Ioram. Quid loqueris? quid iubes metuere?  
 Ochoz. Periiimus, frater charissime!  
 Sedec. Parcite! ah, parcite!  
 Ochoz. Tenete! confodite!  
 Sedec. Parcite! obsecro!  
 Ochoz. Perimite!  
 Sedec. Heu! heu! heu me!  
 Ioram. Pro! atrox spectaculum!  
 Mich. Iam nempe, quod dixi, impletur oraculum.  
 Ochoz. Eheu! impletum est!

Ioram. O Coelum! patrem, asseris, esse mortuum?  
 Ochoz. Propinquat triste feretrum!  
 Ioram. O me infelicissimum!  
     Occurro! forte adhuc pater trahit anhelitum!  
     Forte obtutu ultimo dignabitur filium!  
 Ochoz. Sera vota sunt. cives, properate;  
     Vltimos Regi vestro honores date.

### Chorus

Ch.      Vah! ... haec illa splendida  
           Sunt tandem vaticinia!  
           Sic redit victor Rex!  
 Mich.    Dispersum vidi populum<sup>5</sup>,  
           Vt solet spargi ovium,  
           Pastore caeso, grex.  
 Ochoz. Vir Dei! tibi pater non credidit:  
           Peccavit! ah, peccavit!

### *Aria*

I.    O caecas Regentium mentes!  
       Sic scilicet sumus prudentes! ...  
       Habemus, quos consulimus;  
       Quid consulant, praescribimus;  
       Sic consulunt, quod volumus:  
       Quid hoc est quam iubere,  
       Vt velint imperantibus  
       Parere,  
       Non suadere.  
 II.   Sic stulti magnis sumptibus  
       Ministros malos alimus;  
       Fovemus in sinu serpentes -  
       Heu! misera conditio! -  
       In nostram, uno calculo,  
       Perniciem consentientes!  
       Sic scilicet sumus prudentes!  
 Mich.   Et haec stultitia est poena maxima,  
           Qua plectit Dominus Principum crimina.  
           Ita, dum plecti se non sentiunt, pereunt.  
 Ioram. O frater! frater, adiuva!

---

<sup>5</sup> *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem. (3. Reg. 22.)*



*Achabi in praelio sagitta occisi cadaver infertur sepulchro sub lugubri symphonia.*

Ochoz. Ingreditur pompa funerea!

Ioram. Emorior tristitia.

Mich. Vtinam ista miseria vos faciat sapere! ...

Ioram. Subsistite!

*Aria*

- I. O dies nefasta! o pater!  
 Quis mihi det mori pro te! ...  
 O telum crudele! ... o frater!  
 Permite, ut vertam in me! ...  
 O consultores pessimi!  
 O proditores impii!  
 Sicarii vocandi!  
 Et morte non una necandi!
- II. O Coelum! o providum Coelum!  
 Quam bene damnasti hoc bellum! ...  
 Sed tamen quid pater peccavit,  
 Cum Syros se contra armavit?  
 Credere facilis,  
 Credidit perfidis! ...  
 Et tibi poena sit  
 Tanta crudelitas,  
 Quam simplex meruit  
 Credulitas?

Ochoz. Inutilia desine, frater, lamenta! ... procedimus!  
 Sepulchro Maiorum corpus inferimus.

Ioram. Toedet vivere! procedite!  
 Eodem cum patre tumulo Ioramum condite.

Mich. Ego precabor Dominum<sup>6</sup>,  
 Ne filios involvat patris supplicium! ...  
 Quanquam - o quale mihi animus canit praesagium! -  
 Stirpem invisam Superis extremum manet excidium ...  
 Ibunt filii in parentis vestigia;  
 Deos alienos non deserent,  
 Paria ab impiis consilia audient:  
 Par igitur omnes feriet et disperdet sententia.

---

<sup>6</sup> Iehu deinde iubente Deo 70. Achabi filios necavit et totam stirpem excidit. (4. Reg. 10.)

*Aria*

- I. Hic finis est: sic pereunt  
Osores veritatis!  
Inflati sunt, dissiliunt  
Tumore vanitatis!  
O stultae spes! o digna res  
Torrente lachrymarum,  
Quod *scelerati* proceres  
*Columnae* sint aularum.
- II. Ah! nisi domum Dominus  
In petra solidet,  
Est labor omnis irritus,  
Repente concidet.  
Columnae arundineae,  
Medulla vacuae,  
Repente fatiscent,  
In rimas dehiscant,  
Frangentur, corruent;  
Et sibi innitentes  
Ruina oppriment.

## Pars tertia

### Constantia Orthodoxa honorata

#### Scena prima

Constantinus, Terentianus, Ioannes, Paulus, Severus, Marius

- Const. Quid sit deliberatum Procopio, expecto impatiens. i, Terentiane, responsum exige.
- Ioan. Quousque inanem, Princeps, alis spem? mutare se non potest pater: Christum amat.
- Paul. Et exilium prae aula amat, in qua amare Christum vetatur sibi.
- Terent. Et ego, Princeps, suspicio constantiam viri. si Caesar essem, non dimitterem: placeret haec contumacia, quae animum fortem arguit atque tenacem recti. nam sic existimo, Deum, cui vir tantus tanta cum pertinacia se addixit, non posse esse indignum cultu.
- Paul. Hem! triumphas, Christe! quanta vis est veritatis! linguas adeo inimicas adigit in laudem sui.
- Const. Fallor, an te edicti fuisse auctorem poenitet? cessasti odisse cultores Christi?
- Terent. Certe incipio admirari.
- Ioan. Macte animo! sic te Christus diligat et faciat suum.
- Const. Nunc imperata fac. praeco, sacrificium insona! ...
- Sonat tuba.*
- Ioan. Pro! sonum auribus piis gravem!
- Paul. Et coges, ut hos oculos cruciemus spectaculo tam atroce! sic amas?
- Ioan. O sine, obsecro, patrem sequi!
- Const. Parete mihi! ego sim vobis parens. mox Caesarem me creabit Augustus; non iurabitis fidem?
- Sever. Ad primum tubae sonum adsumus, Princeps, ut promptos ad imperium videas. utinam exemplum sequantur, quos verbis potuimus nullis trahere.
- Mar. Ex omni numero, praeter nos, paret Caesaribus nemo, ut Christum abdicet. sic animos obstinavit Procopius.
- Ioan. Superi! quod audio malum?
- Paul. Vos abdicatis?
- Mar., Sever. Caesaribus obedire nos decet.
- Const. Digna vos obedientiae tam celeris merces manet.
- Sever. Nullam mercedem vir bonus exigit: sufficit placuisse.
- Ioan. O vox indigna viro! Caesar, avem ex cantu noscis? hoc tibi placet

tetrum facinus? sacrilegam tu perfidiam probes?

Paul. Tu, qui Romae toties laudasti Martyres? cui Tyrannis Galerii tam invisus fuit?

Const. Nunc aliud Pater imperat.

Sever. Imperat iure suo, et imperanti nos decet obsequi. vos qui estis, qui tantis Dominis effrontem spiritum audetis opponere et per impudentiam non ferendam iubentibus dicere 'non obedio'!

Paul. Vos qui estis, qui audetis praecipientis hominis vocem plus vereri quam prohibentis Dei Maiestatem, promissa, minas? nescitis, a quo vestra felicitas pendeat?

Mar. Vtique a Caesaribus pendet. si sapitis, iuvenes, sequimini nos. quid iuuet vos Christus? haerete obstinati: exuti bonis, ab aula pulsi, egeni, mendici propter Christum eritis.

Ioan. Et vos mendici propter diabolum estis. nullam mercedem vir bonus exigit: sufficit placuisse! audisti, Caesar, mendici vocem! sufficit placuisse! o vocem pauperis! o famelicum spiritum, cui istae siliquae sapiunt!

Paul. Tanti est placere homini, ut spiritus Dei capax, cibo tam grosso satur, exclamat: sufficit! sufficit placuisse mortali Domino immortales? abiecistis cum fide etiam rationis iudicium?

Sever. Princeps, haec convitia patiens audis? quia obedimus Augusto, pueris adeo stulti videmur?

Const. Mihi haec contentio placet. isti fortiter urgent; si estis viri, defendite vos.

Ioan. Princeps, si audivisses tu istos paulo ante, quantis se phaleris pro Christo ornarint, quam iactaverint se, quam gloriose se Crucifixo devoverint, credidisses, nullum te Romae vidisse Martyrem, cui non isti fortitudinis palmam praeripuissent. nunc repente iuratum Christo violant fidem impii, rebelles, perfidi, non quia tormenta estis minati, sed quia sic se sperant *placere*. quid? tam mollis, tam foemineus animus placeat Caesari? quid grande speretis ab istis Proteis? quibus in momenta mutandis quilibet Favonius sufficit?

Paul. *Sufficit placuisse!* ergo, Princeps, si evenerit, ut placere Galerio magis istorum intersit quam placere vobis, deserent vos; quam iurarunt fidem vobis, abiicient et adhaerebunt Galerio. plus dicamus: in quae non scelera promptus est, cui sufficit placuisse? ponite nactos vos esse Principem, qualis Galerius est, avarum, libidinosum, crudelem: quid? non vos illius avaritiae, libidini, crudelitati toto animo servietis, ut possitis placere? en animum nobilem, cuius haec tota beatitudo est, placere!

Ioan. Non ita pueri sumus, Princeps, ut non ista didicerimus ex Christi lege concludere. nobis hoc axioma inculcavit parens: sic studete placere Principi, ut nunquam Deo displiceatis; a Deo, non a Principe omnis felicitas pendet huius vitae et futurae.

Sever. Eiice ex aula, Princeps; tum sentient, unde felices sint et quid ista de Deo garrulitas prosit. mihi in hac vita Caesar pro Deo est.

Ioan. Egregie! exulta, Princeps! iste ex te idolum facit ...

*Sonat tuba.*

En, praeco insonat! age, deturba Iovem, Constantinum impone aris! nam qui a Christo defecisti, quid interest, si etiam a Iove deficias? adulator putide! si placere vis, Heliogabalo vel Caligulae loquere, non Constantino.

Mar. Princeps, ego stupeo patientiam. te tacite ferre decet hoc impudens os?

Const. Mihi non faciunt male, vos videritis. quid tu vultu novum laetiore praefers?

## Scena secunda

*Accedunt Procopius, Volusianus, Adocetus, Socii*

Terent. Vicisti, Princeps! inveni Procopium hominem! servatus est amicus mihi! sacrificabit.

Ioan., Paul. Pro tonitru grave!

Mar., Sever. Procopius?

Const. Rem incredibilem narras.

Terent. Ex ore viri. unum rogat, ut non assistere modo liceat, sed etiam Sacerdotis officio fungi.

Const. Mecum ad Caesarem perge.

Ioan., Paul. Nisi decipimur, ut tali nos mendacio in scelus pertrahant.

Ioan. Ruenti occurrimus.

Sever. Sic ex portu in medios eiicimur fluctus. nam si mentem mutavit Procopius, haud dubium est, quin traxerit socios. ita spes omnes nostrae naufragio mersae sunt.

Mar. Me aliud angit praeterea. vidisti, ut frigeat Constantinus? ut petulantiam puerorum non modo tulerit, sed probaverit etiam? ut ad auditam mutationem Procopii obstupuerit? an signum laetitiae dedit? an potius animi turbati indicia in vultu et sermone notasti? prorsus velut defecisse doleret. metuo, ne totus ad Christum transierit.

Sever. Sic deserentes se deseret Deus, ut solet. trepidus in hanc cogitationem delabor: repente excidissemus simul utraque gratia Dei et Caesaris; qua quae posset cogitari miseria maior?

Mar. Concutior totis artibus. equis vero tanti mihi esset auctor futurus mali, praeter te? et tum, sceleste, ita per Stygem iuro, aut consilium felicius aut sanguinem dabis ...

*Sonat tuba.*

Sever. Iacta est alea: ad Iovem fugio.

*Ara Iovis prostat.*

Viden', ut haec Maiestas blanditur nobis, terret aemulos? super alis aquilae feremur in Solis thronum.

Proc. Hoc de me filii credunt?

Paul. Pater! hoc de istis quis credidisset? isti fecerunt, ut iam nihil incredibile sit.

Proc. Adestis miseri transfugae! huc splendida illa verba, huc iurata fides, huc magnifica promissa reciderunt?

Sever. Exprobras, quod facis tu, quod omnes tui?

Mar. Superbus novo titulo Sacerdos Iovis!

Proc. Ah! ut falsi estis! iam abiissemus exules, nisi malum nos vestrum torqueret. detestor Iovem! Christum adoro! num facio fidem?

Omn. Pereat Iupiter, Christus regnet!

Ioan. Haec vox me recreat.

Paul. Ignosce credulis! decepti sumus.

Proc. Nihil mutavi me! vos ut mutetis male mutatam mentem, amici, per quidquid est charum, rogamus vos! ex tantis vos esse solos, qui abiiciant fidem, hoc vestrum sanguinem decet? hoc Christus meruit? qua spe transfugitis? ah! quid prodest homini, si mundum universum lucretur? si perit anima, quid non perit?

Volus. Creditis, invito, inimico Christo vos posse felices esse?

Adoc. Quodsi sinat Christus sperato per scelus potiri bono, cogitate, quamdiu illud erit? et quid deinde?

Proc. Sed exemplo suadeamus, quod decet. Caesar adest.

## Scena tertia

*Accedit Constantius, Aula, Milites*

Const. Tandem, ut audio, dedisti te: sacrificabis! Sacerdos esse vis? cuius victimae?

Proc. *Insignia reddit.* Haec est victima: honores, titulos, amicos, filios, me ipsum sacrifico Christo, et pro te, Caesar, et pro filio tuo sacrifico. ille Deus, qui regnat solus et in cuius unius manu rotantur fata Principum, hoc sacrificio placatus tibi, sic faveat, ut totus in cultum unius eas. hoc si exoro, impetravi, quod implet vota.

Omn. Haec vota omnes facimus.

Terent. Hem! decepisti me igitur ambiguus verbis!

Proc. Recipite, quae dedistis, honorum insignia! volentes deponimus ad sacros pedes. vos credite, nunquam honoratos nos esse magis,

quam cum Christi causa honores exuimus. circumspicite, Caesares, quem videtis pallere? quis tremit horrore exilii? quis non exundantis laetitiae, qua cor afficitur, signa in vultu circumfert? Augusti, si male conscii nobis, si praestiti ignave servitii rei, si nostra culpa indigni gratia pelleremur, scilicet pudore deiecti, tristitia absorpti, desperatione oppressi abiremus cum gemitu; nunc, quando una exilii causa Christus est, imus laetantes, neque de bonis, quae amittimus, anxii, neque de malis, quae expectamus, solliciti, quoniam Christi gratia sufficit nobis. tanti est, non quid patiaris, sed cur! ecce, de magno numero nemo deterreri se passus est a Christi fide, nisi duo isti miseri transfugae, quorum perfidia nescio an etiam vobis placeat: estis enim sapientes nec potestis probare, ut in gratiam mortalis Domini Dominus immortalis deseratur. sed abrumpendus est sermo: valete, Caesares! vivite felices, victores, Patres! addat ad cumulum felicitatis misericors Numen, ut uterque se Christo iungat.

Omn. Valete *etc.*

Proc. Vltimas his votis, si quid unquam merui, liceat preces addere, quarum causa huc nos contulimus. nolite admittere, ut quisquam ex nostro numero abeuntibus desit. liceat Mario et Severo confidentius loqui, ut revertantur; et mihi filios liceat auferre mecum, quamquam non tam mei quam Christi sint. admovete vos genibus, charissimi, et vestram vobis libertatem a Dominis exorate. si verba deerunt, perorent lachrymae: evincetis.

Ioan. Augusti, quo nostro merito nos sic odistis, ut a patre velitis abstractos? si scelus est, Christum colere, rei eiusdem sceleris cum patre sumus; nec deprecamur, nec poenitet etiam: Christum colimus! Christus Deus est et unus Deus!

Paul. Christus Deus est et unus Deus! quid? non meremur hac publica professione exilium! ah! liceat exulare! quod si non licet, timete, Caesares, iuvenilem audaciam: possumus vindicare nos de vestris Diis, et erit occasio.

Con. Masculos habent animos pueri.

Proc. En! moveri videntur Principes! Severe, Mari, urgete coepta. invitat Christus ad reditum, Caesares dabunt exulandi licentiam: nunquid transfugii poenitet? quid resistitis? porta ad gratiam patet: ultimum per nos loquitur Christus vobis! si non auditis, claudetur ianua, sero clamabitis: 'utinam rediissem!' rumpite moram! en, responsum expectant Caesares! per si quid de vobis Christus meruit, Christum colite!

Omn. Per si quid *etc.*

Sever. Irascor, Caesares, audaciae hominum! in oculis tuis nos audent invitare ad contumaciam! nos obedimus vobis! colimus Iovem! Christum non novimus!

Mar. Colimus Iovem! Christum non novimus!

Omn. Blasphemia gravis! o Coelum! quanta patientia perfidos toleras!

- Const. Auguste Genitor! non ultra me teneo. huc usque processum sit satis.
- Con. Satis est. amici, sacrificet Iovi, qui vult. non tollo vobis antiquos ritus, sed nec exigo mihi. haec virorum constantia prae omni sacrificio est: omen capio, favet Deus! secure ad filii electionem procedo. Terentiane, amicum tibi Procopium reddo. tu cessa Christum persequi.
- Terent. Didici hodie aestimare. sed quid fiet denique?
- Const. Vicistis, amici! et vicit in vobis Christus. recipite honores positos: mei estis, et ego vester!
- Con. Ex hac die liberam omnibus promulgo facultatem profitendi Christum. nemo cuiquam molestus sit Christi causa, nemo obicem ponat legi, quam Imperator non improbat. abscedat stupor! fictio fuit, quidquid feci adversum vos! non odi Christum; parum abest, etiam colo. periclitari constantiam lubuit, ut ex fidei firmitate erga Deum intelligerem, quos potissimum novo imperii mei collegae Ministros legerem, quibus ille se possit tuto confidere.
- Proc. Triumphat Christus: vivite, Caesares! totus iam vester Procopius erit; totus Constantii, totus Constantini.
- Omn. O grande prodigium Christi! o admiranda mutatio! vivite, Caesares!
- Con. Huc insignia imperii: filio iurabitis fidem.
- Terent. Iurabimus. gaudio implesti omnes, cum Procopium servas.
- Sever. Quid ita? coronabitur filius, neque ante sacrificium fiet?
- Const. Factum est a Procopio magnificum satis. quid ad te?
- Con. Palam est modo animus vester. convictus sum, dignos esse, quos filius colat in primis.

### Scena quarta

#### Coronatio et Homagium

<Procopius, Constantius, Constantinus, Terentianus et alii>

- Proc. Placatus Caesaribus Christus hanc fausto omine signet diem!
- Omn. Placatus *etc.*
- Terent. Paratam pompam infero; impone coronam gaudio, quod lucem istam beatam reddit. vivat Constantinus imperii consors tui!
- Omn. Vivat Constantinus imperii consors tui!
- Const. Vobis vivam.
- Con. Equidem, proceres, semper amavi vos, semper amastis me! nunc hoc delectat maxime, videre pronos in meum votum. iam senior providere imperio velim. videtis filium indole, animo, virtute imperio parem; merui, ut acceptetis, et laborabit ipse, ut fateamini meruisse. prosequatur parentis morem, vestris semper commodis, non



suis invigilans et memor, Regem propter populum esse, non populum propter Regem. itaque neque premet oneribus, nisi quae gravia esse nemini possunt, quia communi bono necessaria; neque premi patietur ab hostibus, adversum quos armabit se ipse, nulli labori, quin nec sanguini parcens, quem fundere sit necesse, ut vobis sit bene. unum postulat vicissim a vobis, ut sitis concordēs et, quam estis Religione diversi, tam animo similes. nolite petere, ut, quod Romae Galerius facit, ferro et igne Christi cultores persequens, idem faciat ipse in Gallia. non faciet, et sua erit, sicut sub patris, ita sub filii imperio libertas cuique salva. homines pacifici sunt, magno animo et fideles Principi, quamdiu servant Christo fidem! ergo cur persequamur? imo cur non in honore et amoribus sint, praecipue quia plerique vestrum ita aestimant Christi legem, ut ab eius acceptatione nihil, nisi austera sanctitas praeceptionum absterreat. quod si spondetis pacem, corono filium et Caesarem dico.

Terent. Ego, viri, quam hactenus alienus a legibus Christi fui, tam in istis, quos hic videtis, hodie didici magnifacere. amemus viros, quos amant Caesares! sinamus, quem sunt meriti, amore frui.

Proc. Toti vestris ut commodis devoti vivamus, ipse, quem adoramus unum, nos Christus iubet. quamdiu videtis nos servire Christo, tamdiu servimus vobis: securi estis.

Terent. Vivite et gaudete favore Caesarum in nostrum bonum!

Omn. Vivite et gaudete favore Caesarum in nostrum bonum!

Const. Sic placetis. sic animo uno omnes conspiramus in communem felicitatem. concordia invictos, beatos facit.

Con. Ergo quod felix faustumque sit, laurum cape, fili, imperii consors mei! sceptrum arripe! tolle in clypeos, miles, et fidem iura!

Terent. Stringite gladios, curvate genu, clamate unanimi voce: 'quod fideles, quod fortes, quod constantes in famulatu Constantini futuri simus, iuramus!'

Omn. Quod fideles, quod fortes, quod constantes in famulatu Constantini futuri simus, iuramus!

Const. Vicissim ego vobis amorem, curam, solertiam spondeo.

Omn. Vivite, Caesares! felices, victores, Patres vivite!

## Scena quinta

### Electio Procerum

<Procopius, Constantius, Constantinus,  
Ioannes, Paulus, Marius, Severus et alii>

Con. At tu, Severe, tu, Mari, per quem iurastis? per Christum an per Iovem?

- Proc. Dubitant miseri! ah, tandem sapite!
- Const. Per quemvis iuraverint, perinde periuri sunt. abdica, Pater! non fido infidis.
- Con. Sapiens es. nec enim erunt fideles tibi, qui non sunt Deo. imbelles homuli! tantam ignaviam credidistis impunem fore? videte hic, quid vos vestra adulatio iuverit. istorum tam gravi experimento probata constantia digna est praemio! recipite insignia! in nulla alia manu securius splendent; quin augebo honoribus. Praetorii Praefectum Procopium dico, Volusianum a cubiculis, Adocetum a secretis constituo. Iustine, Asclepiodote, vos Severi et Marii tenebitis locum; caeteros pro suo quemque gradu levabo altius. sic decet honorare viros, qui Dei causa contemni non timent.
- Proc. O Princeps, digne, quem Christus amet!
- Const. Vos ego aureis vinculis devincio mihi! crescite amores mei! masculi pugiles! magna olim magni parentis gloria!
- Ioan., Paul. Vt forte hoc sit vinculum, fortiore tamen Christus nos stringit vobis.
- Proc., Filii Christus vobis reddat vices pro gratiis, quas in nos confertis! Christus aeternum beatos velit!
- Con. At vos abite nunc quidem ex oculis statim, cras etiam a castris longe, periuri, perfidi!
- Mar., Sever. Poenitet! pudet!
- Proc. Miseri!
- Sever. O si tu pro nobis ores!
- Con. Nolo orare quempiam. Deo perfidos haec aula non tolerat.
- Proc. Poenitet tamen.
- Con. Non possum fidere.
- Proc. Corrigent se.
- Con. Non possum fidere.
- Proc. Compensabunt maioribus meritis.
- Con. Periuri Deo fuerunt: non possum fidere.
- Const. Abite! a Christo sperare veniam licet, a nobis nulla est. ille cor inspicit, videt, an poeniteat serio! nos periuris Deo non possumus fidere. exemplum omnibus Ministris este, ut sciant, quid primum in ipsis velim.
- Sever. O dies nefasta!
- Mar. O maledicta simulatio!
- Con. Ego hoc, amici, gaudeo, quod filium haeredem habeam, qui vestra opera absterget lachrymas Christianorum. sic libens morior. plaudite!

<Finis>

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1760 mit dem Titelzusatz „DATA LUDIS AUTUMNALIBUS ANNO MDCCXXXVI“. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar ([www.uni-mannheim.de/mateo/camena/neum1/te06.html](http://www.uni-mannheim.de/mateo/camena/neum1/te06.html)); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *Auctor* für *Author*, *Coelites* für *Caelites*, *lachry-* für *lacry-*, *quidquid* für *quid quid*. 'Anführungszeichen' und 'Gedankenstriche' wurden ergänzt, unnötige 'Kommata' vor *et*, *atque* usw. gestrichen, unpassende 'Doppelpunkte' ersetzt. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktion sei hier jedoch verzichtet.

An Einzelstellen zusätzlich groß geschrieben wurde: *Atlanti*, *Charybdim*, *Christianam*, *Christiani*, *Coelum*, *Constans*, *Deum*, *Genitor (Auguste)*, *Imperator*, *Magnum (Constantinum)*, *Maiestas*, *Miles* (Chor), *Minister*, *Parens (Auguste)*, *Religio*, *Theatrum*, *Tyrannus*, *Sacerdos*, *Scyllam*, *Stygem*; klein dagegen: *ambages*, *arma*, *aula*, *aulicus*, *bonitas*, *capitis*, *castra*, *cives*, *consilium*, *consultores*, *dies (nefasta)*, *duces*, *epigrapha*, *exilium*, *filius*, *frater*, *honorata*, *hora*, *imperium*, *iuvenis*, *lachrymarum*, *misericordia*, *musici*, *negotio*, *oraculum*, *organa*, *palatium*, *parens/pater* (wenn nicht *Constantius*), *podagra*, *poena*, *praecepta*, *primogenitus*, *proceres*, *proditores*, *sacrificium*, *successorem*, *tempora*, *victor*, *victoria*, *visio*.

Ins Darstellerverzeichnis wurden die Götter des Prologs und die Akteure der beiden Chöre zusätzlich aufgenommen. Gestrichen wurde jeweils *Personae* zur Einleitung der Darstellernennung vor den Szenen; gelegentlich wurde die Reihenfolge geändert, so Prol. statt *PGBM* mit Ergänzung, Ch. I. statt *MASNChP*; 3,4 und 3,5 wurden die sprechenden Darsteller hinzugefügt. Als Anmerkungen gegebene Regieanweisungen wurden im Text gedruckt.

1,1	<i>Tyrannum arma</i> statt <i>Tyrannun arma</i>	
1,2	<i>es ambiguus</i> statt <i>es ambignus</i>	
1,2	<i>credimus</i> statt <i>credimns</i>	CAMENA
1,5	<i>ante Caesarem</i> statt <i>ante Caesaren</i>	
1,5	<i>Mar. Hypocrisis</i> statt <i>Marinus: Hypocrisis</i>	
Ch. 1	<i>Rompheae</i> statt <i>Romphaea</i>	CAMENA
2,2	<i>imperiosa</i> statt <i>impariosa</i>	CAMENA
2,2	<i>poenitentia sceleris</i> statt <i>poenitentia celeris</i>	
2,2	<i>poenas aeternas</i> statt <i>paenas aeternas</i>	
2,3	<i>spiritu</i> statt <i>spiriritu</i>	CAMENA
2,5	<i>auctoritas</i> statt <i>autctoritas</i>	CAMENA
3,1	<i>placeat Caesari</i> statt <i>placeat Coesari</i>	